C. H. Pirtman

DISSERTATIO LITERARIO - JURIDICA INAUGURALIS

DE

M. TULLII CICERONIS

ORATIONE

PRO FLACCO.

DISSERTATIO LITERARIO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

M. TULLII CICERONIS

ORATIONE

PRO FLACCO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI CORNELII BROERS,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT., MED. PROF. ORDIN.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

CAROLUS ARNOLDUS POORTMAN,

SCHIDAMENSIS,

AD DIEM XVI. JANUARII MDCCCXXXV., HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD HAAK ET SOCIOS,

MDCCCXXXV.

PARENTIBUS

SACRUM.

et alii libros ad jus pertinentes scripserunt, quorum scripturae nullis auctoribus receptae nec usitatae sunt.

JUSTINIANUS *Triboniano*.

PRAEFATIO.

Si quem lectorem hic liber unquam habebit, hic velim memoria teneat, me, non animi voluntate ductum, sed legis necessitate coactum, hancce qualemcunque dissertationem conscripsisse. Sic enim intelliget, qui factum sit, ut puer opus virile susceperit, neque a Pisone exiget, quod Horatius praestet. Sin vero quaerat, cur potissimum de Ciceronis oratione pro Flacco disseruerim, quid dicam, nescio. Magnopere Tullii orationibus delectabar, quum quod eloquentia excellunt, tum quod utilitate literarum et juris in primis studiosis se commendant; orationem pro Flacco hoc reliquis praestare videbam, quod habita fuit eo tempore, quo orator ipse in maximis jam versabatur periculis, quae brevi postea in exsilium illud nefandum abierunt. Quid plura? Placebat. Dissertationem conscripsi. In hac autem elaboranda hanc legem mihi posui, ut, explanationis causa, si fieri posset, de iis tantum aliquid in medium proferrem, quae doct. orationis interpretes aut minus recte, ut videbatur, explicuerunt, aut de quorum sensu inter se differunt. Dixi praeterea hic et illic de rebus,

quarum docti isti nullam fere rationem habuerunt, non, quod credebam, literarum et juris peritos res istas non satis perspectas habere, sed quod arbitrabar, alio modo doctori, antiquitatis monumenta illustranti, alio vero doctorando, de iisdem dicenti, disputandum esse. Hujus, ut se dignitatis, quam capessat, non prorsus indignum commonstret: illius, ut cum aliis doctrinae et ingenii sui fructus communicet, liber in publicum prodit; hic nomine plerumque et auctoritate gaudet: ille neutro fruitur; quare, si in Ciceronis verbis explicandis longior quandoque fui, hoc eidem opinioni tribuatur. Quum autem hanc primum rationem secutus essem, ut post Orationis argumentum *et* constitutionem *ea, quae dicenda videbantur, ad singula Ciceronis verba adnotarem, deinde, monente Promotore, viro aestumatissimo, consilium mutavi, ita ut dissertationem in tres partes distribuerem, quarum secunda nunc ea continentur, quae, etiam si non unice ad explicationem singularum rerum, quae in Flacci defensione occurrunt, pertinere videantur, tamen ad totius orationis intellectum non nihil facere habenda sunt. Quod quum tunc demum fecerim, quum jam totum opus ad finem perduxissem, non ea diligentia hac in re versari potui, qua me usum fuisse optaverim. Multa insuper L. B. corrigenda reperiet, cujus rei praeter alia documento sit extrema hujus libri plagula, quod, quum jam annum fere abhinc et dimidium opus aggressus essem, ali-*

quis fortasse mirabitur; sed, quum primum morbo sontico gravarer, deinde aliis rebus maximum temporis spatium impendere cogerer, postremo procul a typothetis vitam degerem, non satis omnia pelustrare et castigare licuit. Singulis quum typographorum, tum meis ipsius erroribus benevolentia, quaeso, ignoscat.

Hisce de dissertatione dictis, jam me convertam liceat ad vos, VV. CC., quorum ingenium, doctrina, humanitas et benevolentia in his Musarum sedibus fontes mihi exstiterunt quum utilitatis, tum jucunditatis uberrimi. Vobis, vobis, inquam, et voluptatem, quam ex juris et literarum studiis aut jam percipio, aut in posterum percepturus sim, et laudes, si quas unquam his partas habebo, maximam partem acceptas refero. Quos vestra eruditio mihi largita est, fructus, hi animo meo gratam vestrûm insculpent memoriam, quae et aetatem feret et fortunae vicissitudines. Tui in primis recordabor, Promotor aestumatissime, et vestrûm cujusque, Jur. et Lit. Doctores, quibus prae aliis gratias debeo; quos omnes, ut, qua huc usque erga me fuistis benignitate, eadem et in posterum me accipiatis, rogatos velim.

Triste denique mihi incumbit officium, valedicendi dico Lugduno, Academiae, amicis. O! quinquennium illud fortunatissimum, quod aut Lugduni Batavorum aut in castris inter cives Academicos degere mihi licuit! Discedenti reviviscunt dies illi fausti et felices, Minervae et Marti, amicitiae et oblectamentis dediti. Locum denuo occupo in

auditorio doctissimorum, eruditioni addicto: militi inter voluntarios, *modo decursis occupatos, modo vigilias agentes, aut hostes fugantes, aut gaudiis et honoribus in patriam receptos: concionibus publicis adsum: dies festos celebro: in coetis amicorum dego, ingenium exerceo, fortunatus gaudeo. Sed abiit tempus dulcissimum, abiit in aeternum; quod, nisi spem reliquisset felicitatis futurae, vehementer conquererer. Nunc futuro laetor; praeteritum doleo. Quis enim unquam, quotquot gauderet amicis, vel unum ex iis laetus amiserit? Tristis discedo, Lugduno aegre valedicens; spe animatus reliquam viam ingredior. Quocunque tamen me ducat, immemor Lugduni nusquam appellam. O! utinam et vobis grata eadem remaneat recordatio, quibuscum et studiis et amicitia conjunctus fui. Hoc, precor, persuasum vobis habeatis, quem hic ego amicum habui, eundem et alibi me amicum habiturum. Valeas, Lugdunum! Valeas, Academia! Amici carissimi, valeatis!*

DISSERTATIO LITERARIO-JURIDICA INAUGURALIS

DE

M. TULLII CICERONIS

ORATIONE

PRO FLACCO.

PARS PRIMA.

ORATIONIS ARGUMENTUM.

L. Valerius Flaccus, D. Junio Silano, L. Licinio Murena coss. (a. u. 692) Asiae praetor (1), hujus magistratus nomine, C. Julio Caesare, M. Calpurnio Bibulo coss. (a. u. 695), accusatus fuit repetundarum a D. Laelio (2), subscribentibus Deciano (3), L. Balbo (4), Caetra (5), Lucceio (6).

(1) Cf. Part. Sec. §. 1.

(2) Vid. GARATONIUS ad P. MANUTII hujus orat. argum. et ad c. h. o. XXXVIII.; cc. porro h. o. I., II., III., V., VI., cet.

(3) Schol. Bob. II. 9.

(4) C. h. o. XXIX.-XXXIII., Schol. Bob. I. 1.

(5) Schol. Bob. II, 8.; ORELL. suspic. *Chaerea*.

(6) C. h. o. XXXIII.; ERN. *Ind. Histor.* De subscrip-

Paravit hanc accusationem, (ut ex c. XXXIII. Doct. s. J. F. RAU (1) recte confecisse videtur) Decianus, qui postea, nobilis adolescentis nomine splendorem accusationi quaerens, Laelio eam detulit et huic subscripsit. Postulatus autem fuit lege Cornelia, a. u. 673 a Sulla dictatore lata (2); nam legem Juliam, quum Flacci nomen Laelius detulit, perlatam nondum fuisse, cuivis facile apparebit. Etenim annum fere, inquisitionis causa, Laelium postulasse verisimillimum est (3), Flaccique causam mense Septembri actam fuisse Epistolis ad Att. II. 20—23 et 25 facile docemur (4). Quaestioni praefuit T. Vettius (5); judicarunt judices fortasse septuaginta, minimum certo quinquaginta (6), in quibus S. Stola (7), L. Peducaeus (8), L. Lu-

---

toribus vid. Cl. KLENZE *Fragm. legis Serviliae* C. IV. not. 5, qui ex CIC. *Divin. in Q. Caecilium* C. XV. eorum quatuor fere in judicio repetundarum necessarios fuisse conficit. De accusatoribus et patronis idem vid. ibid. not. 1.

(1) *Var. Lect. lib. ad Cic. orat. pert.* p. 56, ubi capitis h. o. XXXIII. locum corruptum restituere conatus est. Tenendum tamen est quod Cl. KLENZE loco citato docuit.

(2) BACHIUS *Hist. Jurisp. Rom.* II., 2., Sect. 1 §. 74 (ed. 5 p. 173).

(3) Cf. GARATON. ad P. MANUTII h. o. argum.

(4) Cf. idem ad c. h. o. XXXVIII.

(5) Idem ad c. XXXIV.

(6) Cf. *Part. Sec.* §. 3.

(7) C. h. o. XX.

(8) C. XXVIII.

cullus (1). Defenderunt Flaccum quum fortasse alii (2), tum sine dubio Hortensius (3) et Cicero. Neque sine fructu hanc in se provinciam susceperunt, nam reum absolutum fuisse, quum disertis verbis tradit Macrobius *Saturnal.* II. 1. (4), tum etiam significant orat. in Pison. XXIII. (5) et pro Plancio XI.

ORATIONIS CONSTITUTIO.

P. Clodius anni, quo Flacci causa acta fuit,

---

(1) C. XXXIV.

(2) *Fortasse* inquam, quum fieri omnino potuerit, ut Flaccus duos tantum haberet patronos. Sic enim Ascon. Pedian. in argum. Orat. pro Scauro, L. Domitio Abenobarbo, App. Claudio Pulchro coss. (a. u. 700) habitae: » Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: ac post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos est perventum.''

(3) Vid. c. XVII. et XXIII.

(4) De hoc loco vid. SYLVIUS et GARATON. ad c. h. o. XXXI., quorum verbis cel. confutatur MAIUS in Monit. Scholiis Bobiensibus in hanc orat. praevio hujus Macrobii loci editores Tullianos rationem nullam habuisse dicens. Imo tantum abest ut ad eum animum non appulissent, ut assentiri malim Sylvio, existimanti, Macrobium hanc Ciceronis orationem integram habuisse, quam Maio, e *Saturnaliorum* l. 1. contrarium conficienti: praesertim quum horum auctor *mutilam* eam non dicat, sed tantum *jocum*, cujus mentionem facit, *in ea non exstare* significet.

(5) Cf. GARATON. ad c. XXXVIII.

initio, ut plebeius tribunatum pl. petere posset, a Fonteio adoptatus (1), omnes statim, quibus odium gaudet, nervos in Ciceronis perniciem intendere studuit. *Manserant alta mente reposta* testimonium Ciceronis dictaque asperrima (2); quod quum hic maxime metueret, non unam ingressus est viam, ut contra perniciosissima illius consilia firmioribus se muniret praesidiis. Quos opibus, auctoritate, gravitate, consiliis valere noverat, hos amicitia sibi adstringere: quos vetustate conjunctos tenebat, orare ut sibi prospiciant, depingere, quod imminebat, periculum, praesentes oratione, absentes literis tentare, a precibus, cohortationibus, flagitationibus non desistere. Neque mirum cuiquam videbitur, summum oratorem, quum totam suam salutem, jam diu labefactatam, hoc uno Clodii tribunatu eversum et penitus exstinctum iri crederet, insigni quoque ista eloquentia, qua floruit, cui laudes, honores, gloriam maximam partem acceptos referebat, ut semet sibi, suis, patriae, literis servaret, omni studio usum fuisse. Etenim quae alios imminenti damnationis periculo saepissime eripuerat; haec ut inimicorum fraudibus et insidiis resistere valeret, verendum non videbatur; quaeque domesticos hostes acutissimis nuper telis oppugnaverat: hanc perniciosissima scelestissimorum consilia, quibus omnes bonos, fortes, innocentes cives opprimere co-

(1) Vid. Orat. pro domo c. XVI.; add. Cl. v. ASSEN ad GAII I. 106.

(2) II. ad Att. 1.

nabantur, frustraturam esse, extrema fortasse spes opinari erat ausa. Ciceronis sane hanc fuisse mentem, luculenter ipse docuisse videtur, quum hoc ipso, de quo agimus, tempore ad Atticum scripserit:" non destitit (Clodius) de nobis asperrime loqui. Quod si non faceret, tamen ei nihil crederemus: *atque omnia, sicut facimus, pararemus.* Nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur. Rem publicam nulla ex parte attingimus. In causis atque in illa opera forensi summa industria versamur. Quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentinus. Domus celebratur: occurritur: *renovatur memoria consulatus: studia significantur: in eam spem adducimur, ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda videatur*" (1). Quae quum ita essent, non aegre profecto, quum Flaccus accusabatur, hujus suscepit defensionem. Quanta rerum gestarum commemoratio! Quanta periculorum, quum nefariis istis Catilinae temporibus, tum praesenti etiam rerum conditione, Ciceroni cum Flacco societas! Quae acies, qua et amici et suis ipsius hostibus repugnaret! Qui denique fons, oratoriae laudis uberrimus! Eo sane vinculo cum Ciceronis, qualis tunc temporis erat, conditione Flacci defensio cohaerebat, ut aptior nulla fere ad eum deferri potuisse videatur. Tanta enim Flacci praeturae, uti novimus, cum Ciceronis consulatu fuerat con-

(1) Ep. ad Att. II. 22; add. 23. seqq.

junctio, ut qui illam laudaret, hunc negligere non posset. Itaque Hortensius quoque, quum Flaccum defendisset, multus fuit in consulatu isto laudibus efferendo: de quo orator noster: „Quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret! Sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici" (1).

Quibus praemissis, jam, credo, quodammodo suspicari licet, qualis haec Ciceronis sit oratio, praesertim si memoria teneas, quod Ep. ad Att. II. et universa oratoris nostri hujus temporis historia docemur, Clodii audaciam cum opibus in dies crevisse. Describi autem posse videtur in tres potissimum partes, quarum prior *exordium*, altera *querelarum refutationem*, tertia denique *perorationem* comprehendat. Primum igitur videamus de prima atque adumbremus ejus

Exordium.

Quod in praecedentibus satis declarasse mihi videor, hoc maxime Cicero eo, de quo agitur, tempore propositum sibi habuit, ut in opera illa forensi contra nefaria inimicorum consilia munimentum quoddam sibi quaereret. Cui ut Flacci

(1) L. c. ep. 25.; cf. III. 9 et ad Q. Frat. I. 3., quibus docemur Hortensii verbis, hoc praesertim tempore, facta non semper respondisse.

quoque causam accommodaret, ita in hac oratione versatus est, ut statim illud aggrediatur tempus, cujus recordatio et grata esset populo, et, quantum ipse de re publica meruisset, judicibus denuo coronaeque commonstrare posset. Itaque tanta se consule Flacci significat fuisse merita, ut immunitatem ei a cujuscunque generis accusatione peperisse viderentur: imo ne aliam quidem stravisse viam, nisi quae duceret ad honores. Quod dum fecit, sua simul ipsius praeclare gesta ingeniosissime eum celebrasse atque contendisse, eorum gratia ab omni omnino periculo servari se oportere, nemo certo non videbit. *Repetebatur enim ad poenam, qui indicia communis exitii excepit: patronus erat, qui ea proferenda et patefacienda curavit. Ille socius fuit, minister, comes: hic auctor, dux, princeps consiliorum* (1). Ut autem hanc de Flacci meritis opinionem satis confirmet, sibique ipse magis simul prospiciat, eo deinde procedit, ut Flaccum nunquam hanc accusationem subiturum fuisse perhibeat, nisi scelestissimorum hominum haec esset mens, *ut in eandem poenam, in quam conjurati olim incidissent, optime quoque meritos cives detrudere conarentur* (2). Etenim oppressam quidem fuisse Catilinae conjurationem, multosque hujus socios morte plexos: sed non totam tamen exstinctam, aut omnes domesticos hostes de re publica exemtos. Nihil iis, quibus superes-

(1) C. II.
(2) C. XXXVIII.

se contigerit, magis hoc tempore cordi esse, quam conjurationis illius renovationem totiusque rei publicae eversionem: hanc, quotiescunque possit, flagitari: nihil hoc quoque judicio aliud eosdem postulare. Quae ut probet et judicum ideo animos in accusatores simul incitet, primum demonstrat, eos invectos esse in illos praecipue, quorum consilia et opera patriam ab interitu vindicaverint; *damnatum esse Antonium, qui Catilinam, signa patriae inferentem, interemerit: repeti ad poenam Flaccum, qui indicia communis exitii exceperit: se ipsum*, fortissimum Catilinae oppugnatorem, rei publicae servatorem, *ab iudicibus jam nominari: in se nunc crimina fingi: sibi etiam pericula comparari* (2); deinde vero virum esse Flaccum innocentem, ab omni publico crimine immunem. Atque sic jam ad alteram progreditur orationis partem, qua continetur

Querelarum refutatio.

Haec igitur orationis pars, cui, ut sponte intelligitur, majorem in defensione locum adscribi oportuit, quamque re vera maximam esse videmus: haec, inquam, pars eo tendit ut reum innocentem esse judicibus persuadeat. Est autem ita comparata ut in tres paragraphos optime distribui posse videatur, quarum orator

prima, Flacci vitam ante actam crimen, quod

---

(1) C. cit.

intendebatur, omni verisimilitudinis specie destituere:

secunda, accusationis iniquitatem accusatorum calumniam arguere:

tertia, singula flagitia nomine tantum, non re exstare

contendat et argumentationibus eloquentissimis docere conetur. Itaque

§. 1. (C. II. et III.)

in eo versatur ut arguat:

Flacci vitam ante actam crimen, quod intendebatur, omni verisimilitudinis specie destituere. Docet enim

Accusatorem vitam istam ante actam notare non potuisse.

Minorem testium partem eamque levissimam Flaccum accusare.

Rei integritatem laudatoribus uti plurimis, testibus gravissimis. Etenim

Omnes provincias, in quibus antea versatus fuerit, admodum eum laudare: imo ipsius Asiae magnam partem innocentiam ejus defendere (1).

Puerum Flaccum cum patre consule ad bellum esse profectum, neque Asiae luxuriem infirmissimum tempus aetatis corrumpere potuisse (2).

---

(1) Add. c. XXVI. et XL.

(2) Schol. Bob. II. 13.

Adolescentem in exercitu militasse C. Flacci patrui, cui fortissimum se militem praestiterit (1).

P. deinde Servilio, imperatori, tribunum fuisse militum, cujus, ut et patrui, amplissimis judiciis ornatus quaestor factus fuerit (2).

M. Pisonem quaestorem eum habuisse in Hispania, quo munere fungentem temperantissimum eum exercitus cognoverint.

Bellum Cretense ex magna parte gessisse atque una cum summo imperatore sustinuisse, ita ut clarior inde evaserit (3).

Praetorem urbanum fuisse justissimum fortissimumque, cujus rei testis sit totus populus Romanus.

Itaque e longinqui temporis cognitarum rerum fide, domestica vita et natura conjecturam potius judices capere oportere, quam ex iis, quae ad breve tempus audita sint et multas ob causas falsa plerumque proferantur.

§. II. (C. IV.—XI.)

Accusationis significat *iniquitatem accusatorum calumniam arguere:* nam

---

(1) Fad. ibid; C. XXVI. et XL.

(2) C. cit.

(3) Schol. Bob. II. 15; c. XL. Quantum in hoc bello laudis sibi paraverit, vel eo confici licet, quod Tullius orat. pro Plancio C. XI. illius, in hoc bello legati, mentionem facit, ut Plancii, huic probatissimi, vitae integritatem illustret.

universum testium genus nullius esse faciendum,

nationis quippe Graecae, quae testimoniorum religionem et fidem nunquam coluerit, totiusque hujus rei, quae sit vis, qua auctoritas, quod pondus ignoret; cujus rei documento sint:

Dictum Graecorum *da mihi testimonium mutuum*, ita Graeco sermone tritum, ut etiam qui Graece nesciant, hoc quibus verbis a Graecis dici soleat, sciant.

Audacia et confidentia, qua dicant, a testibus Romanis quam maxime aliena.

Laedendi voluntas, qua Graecus testis procedat.

ab accusatore partim coactum, partim concitatum et corruptum,

vi, manu, armis, copiis;

falso sermone, distributis partibus tota Asia dissipato;

testimonii denuntiatione;

largo et liberali viatico.

Neque igitur testimoniis civitatum, sive psephismatibus majorem quandam fidem esse habendam, praesertim

quum quod Graecorum insuper totae res publicae sedentis concionis temeritate administrentur, neque moderationis quidquam in Asiae concionum fuerit;

tum quod χειροτονίᾳ imperitorum et conclamationi egentissimorum originem debeant;

denique quod Asiaticis imperium Romanum

odio sit: nomen acerbitati: scriptura, decumae, portorium morti; neque igitur mirum haberi queat, libenter eos arripere facultatem laedendi, quaecunque detur.

Documenta aut omnino nulla, aut nullius momenti proferri; nam

qui gesserit, non adesse, qui numerasse dicatur (pecuniam) eum non esse deductum;

privatas literas nullas proferri: pnblicas retentas esse in accusatorum potestate.

Testibus denique praesentibus fidem haberi non posse, siquidem studium eorum cum accusatore sociatum sit. Etenim

una eos sedere, ex accusatorum subselliis surgere, non dissimulare, non vereri;

una ex domo prodire;

accusatorem sine cura eos interrogare, nec metuere, ne sibi aliquid, quod ipse nolit, respondeant;

patrono roganti respondere eos *dedimus*, nihil amplius.

§. III. (C. XII.—XXXVII.)

Singula perhibet *flagitia quum quae pegegrini, tum etiam quae cives Romani objecerint, nomine tantum, non re exstare;* questos autem esse adversarios:

(*Peregrinorum querelae*).
(Primum flagitium, C. XII.—XIV.)

Classis nomine pecuniam civitatibus a Flacco imperatam fuisse, eumque pecuniam istam non retulisse;

sed crimen hoc dici non posse, siquidem

1°. praetori imperare licuerit;
2°. navibus opus fuerit;
3°. classis sumptu non tantum et literis, sed cursu et remis navigaverit;
4°. parce et aequaliter praetor pecuniam descripserit;
5°. neque probari possit in ea pecunia non referenda crimen sibi ipsum facere, in qua crimen esset nullum, si referret.

(Secundum flagitium, C. XV. et XVI.)

Acmonenses drachmarum CCVI *millia Flacco publice dedisse;*

cujus tamen rei

Unicus testis sit Asclepiades, damnatus turpissimis judiciis domi, notatus literis publicis, fortuna egens, imprudentia atque audacia fretus.
Verisimilitudini ipsorum Acmonensium genuina laudatio Flacco data obstet.
Documento tantum proferatur testimonium confictum.

(Tertium flagitium, C. XVII.)

A Dorylensibus quoque pecuniam Flacco datam fuisse,

sed

Tabulas, quibus hanc accusationem corrobarent, nullas proferri, ablatas dici.

Dorylensem tantum quendam, ignotissimum, qui nuper quoque in causa liberali mentiri veritus non esset, dixisse *dedi*: nihil vero ostendisse, nihil protulisse.

(Quartum flagitium, C. XVIII.—XXI.)

Temnites drachmarum XV *millia dedisse.*

Verumtamen

1°. Temniorum legatos venisse:

Heraclidem, hominem ineptissimum, qui Temni in senatum venire non potuerit, omnibus turpissimis judiciis convictum.

Nicomedem, qui neque in senatum ulla conditione pervenire potuerit, et furti et pro socio damnatus sit.

Lysaniam, principem legationis, olim senatorem, sed peculatus damnatum, quam ob rem bona et nomen senatorium amiserit,

a Deciano, spe recuperandi fundi paterni, ad dicendum testimonium coactum.

Qui omnes nuperrime in servorum numero deferendo falsum profiteri veriti non fuerint.

2°. Decretum magni non esse faciendum, quippe cui scribendo adfuerint:

Lysanias ille,

Philippus, Lysaniae gener,

Hermobius, cujus frater Poles item pecuniae publicae sit condemnatus.

3°. Neminem e quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis, qui Temni a populo creentur, deductum esse.

4°. Rationes non constare, nam

Drachmarum XV millia, Flacco data, nominatim ei relata esse.

Majorem aliquam pecuniam, eidem, ut dicatur, datam, non ei, sed in aedem sacram reficiendam perscriptam dici.

Homines clarissimos civitatis, amplissimis usos honoribus, Flacco praetore circumventos fuisse;

Quod tamen falsum esse eo probatur, quod ex his nemo in judicio adsit, neque in decreto nominetur.

(Quintum flagitium, C. XXII.—XXV.)

Pecuniam Flacci patris nomine, ad ejus honores, a civitatibus Asiaticis, apud Trallianos collatam, a Flacco praetore ablatam fuisse.

Verumtamen

Hujus rei unicum tantum testem esse Maeandrium, hominem egentem, sordidum, sine ho-

nore, sine existimatione, sine censu, cui, si hanc causam agerent severe, Tralliani certo legationem non dedissent.

Iratam esse Trallianorum civitatem Castriciano nomine, quo factum, ut Flaccum, patronum suum jam inde a patre atque majoribus, benigne non defenderit.

Testimonium eorum psephisma esse concionis egentium, ab optimatibus orbae, Maeandri lingua ventilatae.

Crimen nullum esse, ideoque civitatem Flaccum non severe oppugnare; nam

primum pecuniam civitatis non fuisse, neque in usum ejus collatam;

deinde Flacco patre mortuo, non modo filio, sed cuivis heredi pecuniam auferre licuisse;

postremo verum non esse, quod dixerit Laelius, pecuniam istam Mithridatem abstulisse.

Atque haec orator contra testes attulit Asiaticos, quibus nunc occasionem nactus, ut in nationem istam judicum odium quam vehementissime excitet, civium Romanorum animos ad belli Mithridatici memoriam revocat. Ut autem totam testimoniorum auctoritatem destruat, laudationes deinde iis opponit et testimonia Atheniensium, Lacedaemoniorum, Achaeorum, Boeotorum, Thessalorum et Massiliensium, de quibus: „Adspiciant, inquit, (Asiatici) hunc florem legatorum laudatorumque Flacci ex vera atque integra Graecia. Tum se ipsi expendant, tum cum his se comparent, tum, si audebunt, dignitati horum componant suam." Addit:

Neminem ignorare, tria tantum Graecorum genera esse vera, Athenienses scilicet sive Jones, Aeoles et Dores, quae parvum quendam locum teneant Europae semperque tenuerint, sed Asiae maritimam oram, bello superatam, urbibus cinxerint, non ut munitam coloniis illam augerent, sed ut obsessam tenerent.

Asiaticorum levitatem, humilitatem, inconstantiam et fallaciam ipsorum de genere suo sententiis et dictis quam maxime argui (quod exemplis probat), neque igitur ullam iis fieri injuriam, si statuerit, Romanos illorum de se ipsis judicio stare oportere.

Postea crimen quoddam aggreditur Judaicum; nam questi erant accusatores:

(Sextum flagitium, C. XXVIII.)

Quum aurum, Judaicorum nomine, quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis exportari soleret, Flaccum sanxisse edicto, ne ex Asia exportare liceret.

Quibus Cicero respondet:

Exportari non oportere, senatum quum saepe antea, tunc se consule gravissime judicasse.

Furtum nusquam reprehendi, siquidem
edictum probetur;
accusatores ipsi judicatum fateantur;
aurum quaesitum et prolatum palam non negent;
actum esse negotium per viros primarios, res ipsa declaret;

auri ratio constet;

aurum in aerario sit.

Hinc vero ad querelas procedit civium Romanorum, quarum prima est Deciani, qui,

(*Querelae civium Romanorum.*)
(Flagitium Septimum, C. XXIX.—XXXIII.)

Quod inimicus sibi esset paternus, Flaccum injuria in se decrevisse contenderit.

Quem ut refutet, orator probat:

Hominem istum nominis Romani indignum esse;

Vexatorem Apollonidiensium, amantissimorum populi Romani fidelissimorumque sociorum;

Praedia eum aliena, de quibus Flaccus decreverit, per vim occupasse;

Emtiones falsas, praediorum proscriptiones cum mulierculis, aperta circumscriptione, fecisse;

Quum irritae factae essent emtiones istae et proscriptiones, ad Pergamenos eum detulisse, ut hi in literas suas publicas illas reciperent, sed repudiasse istos, rejecisse;

Querelas de hisce Deciani injuriis ad P. Orbium delatas jam fuisse, qui contra illum omnia decreverit;

Apud P. Globulum gratiosiorem quidem fuisse Decianum, sed, illo Asiae praetore, legatos Apollonidienses omnia postulata de injuriis unius Deciani ad senatum Romanum detulisse;

Flaccum re vera Deciano inimicum non fuisse;

Decrevisse eum non aliter atque oportuerit, neque aliter ac censuerit senatus;

Q. Ciceronis literas Deciani flagitia confirmare;

Praedia ista in censum Decianum detulisse;

Censum esse praeterea numeratae pecuniae CXXV, sibi, ut videatur, a se non numeratae;

Censum esse mancipia Amyntae.

Quo loco Flaccum simul a Laelii criminatione defendit, Decianum a Flacco corruptum esse perhibentis, et Lucceium refutat, L. Flaccum sibi, ut a fide se abduceret, dare cupisse sestertiûm vicies praedicantem.

Alteram porro civium Romanorum attingit querelam, nempe causam Andronis Sextilii, cui gravem factam fuisse injuriam questi fuerint accusatores, quod,

(Flagitium Octavum, C. XXXIV.—XXXVI.)

Quum esset ejus uxor Valeria intestato mortua, sic egerit eam rem Flaccus, quasi ad ipsum hereditatem pertineret.

Quam ob rem orator ita reum defendit, ut doceat:

Hereditatem re vera ad Flaccum pertinuisse.

Ab ingenuis enim mulieribus hereditates lege ad agnatos venire;

Valeriam in manum mariti non convenisse;

Doti pecuniam suam, Flacco non auctore, dicere non potuisse.

Neque quidquam obstare, quo minus hereditatem, quae lege illi venerit, petere ei liceret.

Lurconem, hujus rei contra Flaccum testem, iratum esse Flacco.

Pactionem Andronem inter et Flaccum factam fuisse, cujus arbiter C. fuerit Caecilius, vir splendidissimus, gravissimus, religiosissimus: obsignator C. Sextilius, homo et prudens, et constans, et gravis.

Flaccum omnem pecuniam, illa hereditate partam, adolescentulo L. Flacco, propinquo suo, reddidisse, neque igitur hac in re avaritiae accusandum esse.

Postremo tertiam eorundem refutat querelam, de crimine scilicet Falcidiano. Hic enim epistolam scripserat ad matrem et ad sororem alteram, quibus

(Flagitium Nonum, C. XXXVI. et XXXVII.)

talenta quinquaginta se Flacco dixit dedisse.

Quod verisimile esse Cicero negat,

primum, quod Falcidius ipse non adsit, sed literas tantum ea de re miserit, quibus, quum ipsi Falcidio, si aram tenens juraret, nemo crederet, fides omnino haberi nequeat;

deinde vero, quod pecuniam, quacum in Graeciam trajecisset, non Flacco dedisse, sed consumsisse potius videatur;

tum etiam, quod accusator ipse nullum firmamentum in illo teste se posuisse probet;

denique vero, quod oratu accusatoris Falcidius scripsisse videatur;
postremo, quod, quum nihil accusator interrogaverit Falcidii affinem, aut generum, totum crimen fictum merito habeatur.
Hisce demum peractis, sequitur

Peroratio:

Ad quam animadvertas licet, oratorem ad hanc orationis partem ita aggredi, quasi jam longius, quam par esset, a proposito discesserit: quod nostram de hac oratione opinionem, supra adscriptam, gravissimo sane argumento corroborare videtur. »Sed, inquit, quid ego de epistolis Falcidii, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani censu tam diu disputo et expostulo? de salute omnium nostrûm, de fortunis civitatis, de summa re publica taceo? quam vos universam in hoc judicio vestris, vestris, inquam, humeris, judices, sustinetis. Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur." Quo modo quum eo jam reverteretur, unde egressus erat, quae supra dixit, eadem nunc fere repetit. Docet iterum flagitiosissimos audacissimosque homines illud maxime tentare, ut conjuratorum poenas optimus quisque luat, totaque adeo res publica converti et perturbari queat; quod iisdem, quibus supra usus est, Antonii scilicet, Flacci suoque ipsius, exemplis confirmare studet. Ut autem audaciam eo-

rum, quam obiter tantum in exordio attigit, nunc acrius perstringat, vehementer eos reprehendit in eo, quod per senatores et per equites Romanos, qui omnia ista, quae contra Catilinam ejusque socios facta fuerint, pro salute omnium, communi consilio, una mente ac virtute gesserint, scelestissima sua consilia exsequi conentur; quo loco ut se ipse honesta denuo gloriatione efferat, quid populus Romanus de se sentiat, disertis nunc verbis praedicat. Post ea exempli gratia nomina quorundam excitat, quos, dum accusati fuerint, etiam si innocentes non essent, rei publicae tamen causa, judicio liberatos fuisse ostendit; quam ob rem Flaccum quoque incolumem rei publicae servari oportere perhibet. Primum enim illum hunc esse virum, qui quum de provinciis plurimis, iisque gravissimis, tum etiam de ipsa re publica Romana optime jam meruerit et in posterum meriturus videatur: quam argumentationem documentis iterum, supra jam allatis, corroborat et oratorie illustrat, ita ut multum quoque de sui consulatus Nonis illis Decembribus Flaccique erga rem publicam amore, hoc praesertim die illustri, gloriari non omittat. Deinde vero, si Flaccus condemnetur, exemplum dari perniciosissimum, quum, si huic tantum in rem publicam studium calamitati fuerit, nemo sine dubio posthac tam amens futurus sit, quin a rei publicae hostium potius, quam ab amicorum parte stare se oportere arbitretur. Postremo judicum, ut fieri solet, implorat misericordiam.

Atque hoc modo orationem pro Flacco absolvit, quam summo oratore dignissimam esse, nemo, arbitror, non judicabit. Merentur autem, quae cum hac oratione conferantur, quum alia, tum in primis fragmenta orationum pro Fonteio et Scauro.

PARS SECUNDA.

§. 1.

DE L. VALERIO FLACCO.

L. Valerius Flaccus, veteri Valeria gente oriundus, haud diu post annum u. c. 650 natus videtur. Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus (1), quod a. u. 668 locum habuisse §. seq. docere conabimur. Ex hoc aetatis gradu ad exercitum se C. Flacci patrui contulit (2), qui Scipione et Norbano coss. (a. u. 671) imperator fuit Galliae Narbonensis (3). Adolescentem igitur non in umbra, neque in illius aetatis disciplinis artibusque versatum fuisse, sed rei militari aliisque, quae civi in primis Romano

(1) C. h. o. II.

(2) Scholia Bobiensia ad h. o. II. 13. Non assentimur cel. Angelo Maio, aut vocabulum *patrui* h. l. in *patris*, aut vocem *patre* ad finem c. II. in *patruo* mutandum videri dicenti; vid. adnot. nost. ad §. seq. laud.

(3) Ernesti *Ind. Hist.*, Fabricius *Hist. Cic. per cons. descr.* a. u. 670., Pighius *Ann.* XV. a. u. 670.

usui essent, operam dedisse, quum facile ex hisce colligitur, tum disertim oratorem monere videmus (1). Fuit deinde P. Servilio imperatore (a. u. 676—679) in Cilicia tribunus militum (2), M. Pisoni, Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso coss. (a. u. 684), quaestor in Hispania (3), in bello Cretensi (a. u. 686—689) legatus Q. Metelli (4). E Creta redux praeturam petivit, quam Cicerone et Antonio coss. (a. u. 691) gessisse vel ex hac Tullii oratione satis constat (4). Anno sequenti in Asiam profectus est, cui, ut recte docet Garatonius (5), annum tantum praefuit. Redux a. u. 693 legatus deinde cum Q. Metello Cretico circa Idus Martias Q. Metello L. Afranio coss. (a. u. 694) missus videtur in Galliam, quae quidem legatio aut evanuit, aut intra tres menses ad finem perducta est (6).

---

(1) C. h. o. II. Cf. porro quae supra diximus *Querel. refut.* §. 1.

(2) C. h o. III., Schol. Bob. II. 16, add. Pighius *Ann.* XVI. a. u. 684.

(3) C. h. o. III et XXVI., Schol. Bob. II. 16, Orat. pro Plancio c. XI

(4) C. h. o. I., II., III, XXXVIII. seqq.; add. Orat. in Pison. c. XXIII. Res ab eo in conjuratione in primis Catilinaria gestas quum Sallustius *Bell. Catil.* c. XLV., tum etiam orator nost. in Catil. III. 2 et 3 memoria prodidit.

(5) Ad P. Manutii h. o. argum. et c. h. o. XXXVIII.

(6) Ep. ad Att I. 19, Garatonius ad c. h. o. XXXVIII.; add. Ep. ad Att. II. 2.

§. 2.

DE L. VALERII FLACCI PATRE.

Duo potissimum uno eodemque tempore fuere L. Valerii Flacci (1) non confundendi, uti docuit Ferratius ad c. h. o. XXXII., assentiente Garatonio ad c. XXIV. (2), quorum alterum cum C. Mario VI., a. u. 653, (654), consulem fuisse, censorem a. u. 656 (657), principem senatus, a L. Marcio Philippo et M. Perperna cens. lectum, a. u. 667 (668), interregem et magistrum equitum, Sulla dictatore, a. u. 671 (672), alterum vero provinciae quaestorem a. u. 649 (650), aedilem curulem a. u. 654 (655), praetorem a. u. 658 (659), Asiae praetorem a. u. 659 (660), consulem C. Mario VII, in magistratu mortuo, a L. Cornelio Cinna suffectum a. u. 667 (668), eundemque a Fimbria a. u. 668 (669) in Asia occisum Pighius Ann. XIV. perhibet (3). Hunc autem, non illum, Flacci nostri fuisse patrem, capita h. o. XXII.—XXV. et XXXII. luculenter docent (4). Nimirum C. Mario, primo magistratus

(1) Fuerunt plures, vid. PIGHIUS *Ann.* a. u. 669 et 676—678.

(2) Docet ibi vir summus Ferratium non tantum Manutii, sed et Sigonii, Ernesti, Almeloveenii et Piranesii, L. Valerium Flaccum, patrem nostri, a. u. 668. *secundum consulatum* gessisse tradentium, errorem sustulisse.

(3) Add. GARATON. l. l.

(4) Cf. CAMERARIUS ad c. h. o. XXIV., GARATON. et FERRAT. l. l.

mense mortuo, a L. Cinna suffectus, duabus cum legionibus, λόγῳ μὲν ἐπὶ Μιθριδάτην, ἔργῳ δὲ ἐπ' ἐκεῖνον αὐτὸν (Sullam), ut ait Plutarchus (1), missus est in Asiam, ubi anno sequenti (2) a C. Fimbria, legato, Nicomediae occisus est (3). Non igitur singula satis perspexisse videtur Maius voc. *patre* l. l. in *patruo* mutandum opinatus; neque alteram ejus opinionem, quam illi, non acceptae, sufficiendam putavit, pro voc. scil. *patrui* in Schol. Bob. ad c. II. 13 legendum esse *patris*, veri quid amplecti suspicamur (4). Utraque enim lectione, uti nunc est, integra relicta, omnia bene procedunt. Fuit C. quidam Flaccus L. Scipione Asiatico, C. Norbano coss. (a. u. 671) imperator et praetor Galliae Narbonensis (5), quem si Lucii nostri patruum fuisse dicamus, fragmenti Mediolanensis Scholiorumque Bobiensium lectiones recte sese habere, nemini, credo, non apparebit. Primum enim orator dixit Flaccum *puerum cum patre consule ad bellum* profectum fuisse, neque *Asiae luxuriem infirmissimum tempus aetatis* cor-

---

(1) Sulla c. XX. p. 465, quocum conveniunt Appiani haec: ἀντὶ τοῦ Σύλλα, ὡς ἤδη πολεμίου γεγονότος, τῆς τε Ἀσίας ἄρχειν καὶ πολεμεῖν τῷ Μιθριδάτῃ.

(2) Vid. quae sequuntur pp. 30 et 31.

(3) Appian. de Bell. civ. I. 75, de Bell. Mithrid. c. LI. seqq., Plutarch., c. l. seq., Liv. Epit. LXXXII., Vell. Paterc. II. 23. seq., Aurelius Victor de vir. ill. c. LXX., Dionis fragm. Peiresc. CXXVII.—CXXX. ed. Reim. (Ed. Vales. p. 651). Cf. Schol. Bob. c. II. 13.

(4) Vid. adnot. ejus ad Schol. Bob. l. l.

(5) Orat. pro Quintio c. VI. et VII.; add. Fabricii *Cic. hist. per cons. descript.* a. 670; Pighius *Ann.* XV.

rumpere potuisse; deinde vero, *ex hoc aetatis gradu* (e pueritia) se *ad exercitum C. Flacci, patrui*, contulisse; quod ratiocinationem nostram secutus bene procedere dicturus videris. Quicunque enim *puer* a. u. 668 cum patre ad bellum profectus fuisset, hic omnino, patre a. u. 669 mortuo, adolescens se, a. u. 671, ad exercitum patrui conferre potuit. Sin vero Maium sequi malis, primum tibi obstat, quod nomen *Caium*, ut ex locis h. o. supra laudatis apparet, in *Lucium*, et substantivum *patrui* in *patris* mutari oporteat, dum nobis tamen omnia integra manent; deinde vero, quod Ciceronem, Flaccum se ex pueritia *exercituque patris* ad *patris exercitum* contulisse, dicentem fingas, idque tamen quo minus putes Ciceronem sibi voluisse, res ipsa prohibet; postremo, quod non habeas, quo referas c. h. o. XXVI. verba *quae* (Massilia) *L. Flaccum militem cognosti*; quae nobis ad eam Flacci aetatem, qua sub C. Flacco, patruo, militavit, respicere videntur. Sed in errorem duxit Maium quod non animadvertit fragmentum Mediolanense mentionem facere *Lucii* Valerii Flacci in Asiam duabus cum legionibus profecti, quo factum, ut utrumque locum, quum fragmenti laudati, tum Scholiorum Bobiensium, de uno *C. Valerio Flacco*, a. u. 661 cum M. Herennio consule, agere opinaretur, quem tamen neutro commemorari, ex ipsis Ciceronis verbis satis apparere putamus. Priori enim sermonem esse de Asia Schol. Bob. II, 13 luculenter docet, in quam *Caium Flaccum consulem* cum exercitu profectum fuisse,

nusquam legitur; imo vero a. u. 661 domi forisque tranquillum fuisse, Obsequens narrat (1); posteriorem autem ad C. Flaccum, a. u. 671 Galliae imperatorem, non vero ad alterum illum consulem, referendum esse, satis jam eo probatur, quod L. Valerius Flaccus puer *a. u.* 668 cum patre in Asiam profectus, deinde se *a. u.* 661 ad exercitum patrui contulisse dici nequit.

Fuit idem ille L. Valerius, pater Flacci nostri, turpissimae, ut ait Velleius, legis auctor, qua creditoribus quadrantem i. e. quartam tantum sortis partem solvi jussit (2), „cujus facti, idem inquit auctor, merita eum poena intra biennium consecuta est." Dicitur pravi ingenii, in puniendo crudelis et avarus ejusque mortis maxima causa haec vitia exstitisse (3). Quod igitur c. h. o. II. supplevit Beierus:" *Quia suspiciose dici poterat, criminabare*", huic loco consentaneum omnino dicendum videtur, idque eo magis, quod Laelium Flacci pueritiam in suspicionem judicibus avaritiae merito adducere potuisse quum his, tum aliis testimoniis facile probatur. Primum enim Asia ista referta et eadem delicata semper suspicionem habuit quandam luxuriae (4); e luxuria autem existat avaritia necesse est (5); quam ob rem qui

---

(1) Cf PIGHIUS *Ann.* XV. et FABRICIUS l. l. a. u. 660.

(2) Cf. BACH. l. l. §. LXX. pag. 178. quosque hic laudat, quibus add. Orat. pro Fonteio loc. a Niebuhr. reperta I.

(3) Vid. APPIAN., DION. Fragm. Peir. et LIVII l. l.

(4) Orat. pro Murena V. et IX.

(5) Orat. pro Rosc. Amer. XXVII.

puer in Asia versatus fuerit, eundem virum deinde exstitisse avarum, mirum minime videbatur; deinde vero, Flaccum avarum re vera factum fuisse, quum hujus vitii patrem habuisset magistrum, ad verisimilitudinem proxime accedebat.

Lis est inter viros doctos, utrum L. ille Flaccus, nostri pater, *consul*, i. e. a. u. 668, an vero *consularis*, i. e. a. u. 669, a Fimbria occisus sit. Hanc tuentur sententiam Valesius et Reimarus ad Dion. fragm. CXXVII. et Ruhnkenius ad Vell. Paterc. II. 23; illam vero Vinc. Contarenus Variar. Lect. c. VII. Ansam huic dissensioni praebuit locus Vell. Paterc. laud., ubi auctor „C. Flavius Fimbria, inquit, Valerium Flaccum consularem virum interfecerat," quod eo probari Valesius, quique hunc sequuntur, Reimarus et Ruhnkenius, opinati sunt, quod Flacci, a Fimbria occisi, mentionem Dio facit post consulatum Cinnae et Carbonis. Sed primum non videntur viri illi doctissimi attendisse Appiani verba, qui de bello Mithrid. c. 51 „ἔκτεινεν (Fimbria), inquit, ... ὕπατόν τε ὄντα Ῥωμαίων, καὶ cet. et de bell. civ. I. 75 ἀποθανόντος δὲ καὶ Φλάκκου, Κάρβωνα εἵλετο (Cinna) συνάρχειν ἑαυτῷ," quae non *consularem*, sed *consulem* Flaccum mortuum esse docere videntur: Reimari certe hisce *incidit ergo mors in ipsum consulatum Cinnae et Carbonis* aperte repugnant. Deinde vero argumentum, quo Valesii sententia nititur, cogitanti mihi, scriptores historicos saepissime res eas, quae simul cum aliis, aut postea accidissent, ante has commemorare solere, Appiani verbis gravius non videtur. Ut autem neque hunc, neque

Velleium errasse dixerim, praesertim quum hic in sequentibus, ubi legis a Flacco latae mentionem facit, a. demum u. 669 mortuum eum fuisse disertim narret, locos controversos ita intelligendos putavi, ut aliquid factum fuisse statuerem, quo acciderit, ut hic *consularem*, ille vero *consulem* Flaccum obiisse scripsisset. Neque sane historiae monumenta huic opinioni favere non videntur. Flaccus enim consul, uti satis constat, missus fuit in Asiam (a. u. 668), tardiusque abiit, ut ex Strabonis Lib. XIII. discimus. In annum vero sequentem consules creatos non fuisse, sed Cinnam se ipsum consulem creasse Livii Epit. LXXXIII. et Aur. Victor de vir. illust. LXX. docere, opinor. Itaque, licet nihil, quantum scio, disertis verbis memoriae proditum sit, ex iis, quae diximus quaeque veteres commemorant, conjicere posse mihi visus sum, Cinnam consulatum quidem continuasse, sed collegam tamen, quoad Flaccus vixisset, neminem alium sibi adscivisse, ita ut aliis solus, aliis vero cum hoc, in Asia commorante, magistratum gessisse visus sit; Flacco autem mortuo sibi adjunxisse Cn. Papirium Carbonem. Videtur et Pighius Ann. XV. ab hac opinione non prorsus alienus, quae si viris doctis non placet, Contareno assentiendum puto (1).

---

(1) Cf. Appian. l. c. edit. Schweighaeus., Fabric. *Hist. Cic.* a. u. 667.

§. 3.

DE L. VALERII FLACCI JUDICIBUS.

Quot judices lex Cornelia, qua Flaccum causam dixisse supra monuimus (1), singulis judiciis adscripserit, quum veterum hujus rei testimonia desint, difficile dictu est. Ex iis, quae tradit Asconius (3), videri potest legem Aureliam judicia ita inter tres ordines communicasse, ut quisque eorum tertiam i. e. aequalem fere singulorum judiciorum partem teneret: quod si accipiamus simulque animadvertemus Ciceronem ita loqui quasi equites quinquaginta de Flacci causa cognovissent, prima specie dicendum videtur C fere et L judices de Flacco judicasse. Hoc autem ne statuamus suadere videntur quum quae Cicero et Asco-

---

(1) Vid. argum. h. o.

(2) In Pison. §. 94, in Scaur. extr. (ed. Orell. p. 80), in Milon. extr. (ed. Orell. pp. 53 et 54). Cf. DUKER. ad Liv. Epit. XCVII. Ad horum locorum secundum Manutium, nunquam se crediturum dicentem, quum tres ordines judicassent, minimum judicum senatorum numerum fuisse, maximum tribunorum aerariorum, recte, ut videtur, Cl. Orellius refutavit, non necessario *majorem* senatorum fuisse existimaus. Hoc vero apparere ex Scholiaste Ambrosiano ad orat. in Clod. VII. 2 nondum nobis V. C. persuasit, quum nihil ille aliud sibi voluisse videatur, quam judiciis, postquam ad tria judicum genera translata essent, senatores non tot interfuisse, quot alius ordinis homines; quod fieri sane potuit, etiam si senatorum numerus equitum aut tribunorum numero major fuisset.

nius (1), tum etiam] quae legis Serviliae fragmenta (2) de judicum numero memoriae prodiderunt: e quibus hoc saltem apparet, C et L judices singulis judiciis haud facile, imo nescio an nunquam adscriptos fuisse. Verisimillimum est legem Serviliam judices C repetundarum causae dedisse (3), neque hunc numerum Sulla, quum ad solos senatores judicandi munus restrinxisset (4), auxisse, sed potius deminuisse videtur. Tulit idem legem *majestatis*, qua causam dixit Gabinius (5), cujus judicio judices interfuisse LXX e Cicerone (6) notum est. De M. Aemilio Scauro, a. u. 700 lege Julia Caesaris repetundarum reo, judices, teste Asconio (7), LXX sententias tulerunt, quin et Scholiastes Bob. in orat. hujus pro Flacco II. 4 luculenter docere videtur homines circiter LXX in

(1) Cic. Ep. ad Att. I. 16, quacum cf. Schol. Bob. argum. orat. in Clod. et Curion. et IV. 15 et 26, cui add. ad Q. Frat. III. 4, Ascon. in Scaur. et Milon. ll. cc.

(2) Vid. Cl. KLENZE *Fragm. leg. Serviliae* Berol. 1826 c. VIII. not. 1. et c. IX. not. a et 2.

(3) Cf. Idem ll. cc. et WUNDER ad Orat. pro Planc. c. XVII.

(4) Vid. BACH. l. c. § LXX. (ed. 5. p. 170) et Cl. KLENZE l. c. Proleg. XV. Quod h. l. legis Aciliae repetundarum mentionem non fecimus, inde ne colliges, assentiendum nobis videri cel. Ernesto *in Clave Ind. leg.* v. *Acilia*, hanc Servilia priorem fuisse perhibenti. Cf. id. V. C. l. c. Proleg. not. 41.

(5) Vid. BACH. l. c. ibique in not. et SIGONIUS de Judic. II. 29.

(6) Ep. ad Att. II. 16. et ad Q. Frat. III. 3 et 4.

(7) In Scaur. init. et fine.

Flacci judicio judices sedisse. Ad verba enim *judicabitis principes ejus — senseritis* „ Lex enim, inquit, Aurelia judiciaria ita cavebat, ut ex parte tertia senatores judicarent, ex partibus duabus tribuni aerarii et equites r., ejusdem scilicet ordinis viri." Itaque, licet ceteroquin magni hunc faciendum non arbitrar, huic tamen ejus adnotationi non nihil tribuendum censeo, siquidem de industria non docet aut conjicit quid lege Cornelia de judicum numero cautum fuerit, sed ita loquitur, quasi suo tempore notissimum esset, Flaccum ex lege Cornelia LXX circiter judices habuisse. Quae quum ita sint, nimis, opinor, audaces non videbimur, si judices septuaginta de Flacci causa cognovisse conjiciamus: de qua tamen conjectura confitendum est, non iis eam niti argumentis, ut ad verum proxime accedat. Sed videamus, quosnam judices istos fuisse probabile sit.

Orat. pro Fonteio, a. u. 685 habitae, c XII. orator noster „ Magna, inquit, mehercule causa, judices, absolutionis cum ceteris causis haec est, ne qua insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, *senatum equitesque populi Romani*, non testimoniis Gallorum, sed minis commotos, rem ad illarum libidinem judicasse," et h. o. XXXVIII. „ Illud vero ferri non potest, quod *per senatores et per equites Romanos*, qui haec omnia pro salute omnium, communi consilio, una mente ac virtute gesserunt, harum rerum auctores, duces, principes spoliari omnibus fortunis atque e civitate

expelli posse arbitrantur" (1): de quibus necessario confitendum, primum, tribunos aerarios judiciis istis de Fonteio et Flacco aut interfuisse, aut non interfuisse: deinde vero, si interfuissent, aut equitum nomine comprehensos, aut omnino ab oratore neglectos esse; quare, quid de hisce dici possit, inquiramus.

Quod conjecturam attinet cel. Ernesti, tribunorum ordinem idcirco quandoque non numerari dicens, quod ad sextam classem census Tulliani pertineret, hanc Cl. Ruhnkenium nihili fecisse, imo omnino improbasse satis constat (vid. ad Vell. Paterc. II. 32), neque est, cur viro huic Cl. non assentiendum arbitremur, siquidem tribunos *aerariis*, qui dicuntur, non modo non annumerandos, sed magno plerumque in honore fuisse, oratoris nostri testimo-

---

(1) Add. Orat. pro Cluentio, a. u. 638 habitae, c. XLIII. „Primum judices, *senatores equitesque Romani*, in compluribus jam reis, quos contra leges pecunias cepisse subscriptum est, suae potius religioni, quam censorum opinioni paruerunt," quem tamen locum aliter interpretatur Manutius, de quo infra.

In fragm. orat. pro Scauro, nihil, quantum memini, exstat, quo effici possit, Ciceronem illius quoque judices ad duo genera, Senatorum et equitum, retulisse; quod si contra esset, nullus dubitaverim, quin tribuni equitum nomine et numero quandoque comprehensi fuerint. Cf. Ascon. in Scaur. l. c. Ceterum quae de tribunis aerariis veteres nobis tradiderunt, adeo quidem sunt obscura, ut etiam quaeratur utrum magistratus fuerint, nec ne. Affirmat Joh. Ludov. Conradus ad Gell. *Noct. Att.* VII. 10; negat vero Schellerus Lexic. v. *Tribunus* 1), cui assentitur Cl. Fuss *Ant. Rom.* §. 242 p. 409.

nia luculenter docent (1). Equidem non negamus, fieri potuisse, ut auctores veteres in scriptis historicis, rhetoricis hujusque generis aliis, quum de lege Aurelia agerent, tribunorum aerariorum rationem nullam haberent; sed nondum tamen nobis persuasimus, eidem huic locum fuisse in orationibus in judicio habitis eo, cui tribuni ipsi, ut judices, interessent. Hi enim, si orator eos neglexisset, aequo animo laturi fuisse non videntur, neque igitur probabile est, Ciceronem, patroni muneris minime ignarum aut negligentem, ita locutum esse, ut tertiae judicii partis odium in se ideoque in reum quoque excitaret (2); atque

---

(1) Vid. in Catil. IV. 7, pro Plancio VIII. et Ep. ad Att. I. 16, quo loco de Clodii judicio ,, Maculosi, inquit, senatores, nudi equites, *tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii*, quibus verbis, ut nobis saltem videtur, satis declarat, eos, qui ad sextam classem referrentur, tribunos creari non solitos fuisse. Idem docere videntur verba *nam* PLEBEM *a judicio dimisimus, quae cunctis comitiis adfuit*, quae Orat. pro Planc. l. c. reperiuntur. Miror sane doct. Ernestum hujusmodi quid non sensisse, sed Ep. illam ad Att. ita (in Clave v. *tribunus*) interpretatum esse, ut de ea dicat'' in eorum (tribunorum aerariorum) nomine facete ludit Cic. Att. l. c., ubi de judicio Clodiano: *tribuni non tam aerati* h. e. divites, *quam, ut appellantur, aerarii*, h. e. aere corrupti'', dum tamen alibi (ibid. v. *aerarius*) ,, in aerarios referri, inquit, h. e. in ultimam classem, cui adscripti suffragio carebant, et tantum aere tributi loco pendebant'', neque h. l., ubi de industria de significatione agit vocabuli *aerarius*, eam huic tribuit, quam postea eidem adscripsit.

(2) Hoc quum de utroque loco tum praesertim valet de capite h. o. XXXVIII., quum ex oratoris nostri Orat. in

hoc est, cur verisimile non ducam, patronum tribunos istos, si judicio interessent, incaute neglecturum, sed contra omnia, quae vel speciem quandam hujus negligentiae prae se ferrent, studiosissime evitaturum fuisse, multus suspicar. Quum igitur tribuni aerarii judices sedisse et ab oratore neglecti fuisse non videantur, jam ad alterum illud, de quo diximus, progrediamur inquiramusque utrum tribuni equitum nomine comprehendi potuissent. Hoc si affirmare velis, tribunos aut ordinis equestris participes, aut hujus dignitatis expertes fuisse dicas necesse est: quarum opinionum illam Ant. defendit Augustinus (1), hanc vero multi alii strenue tuentur. Recte autem, ut videtur, Cl. Ruhnkenius (2) Augustinum refutat, quum, quoties tribunorum disertim et equitum mentionem fieri videamus, eosdem a se invicem auctores veteres sedulo secernant, idque ibi, ubi, nisi diversi fuerint ordinis, secernendi minime essent (3). Quod autem idem V. C. dixit, tribunos equitum nomine quandoque comprehendi, non quod re vera equites fuissent, sed quod ex re, quae potiores partes contineat,

---

Catil. IV. 7 satis constet non senatoribus tantum et equitibus, sed tribunis quoque aerariis Catilinae conjurationis oppressionem maximam partem tribuendam esse.

(1) *De Legg.* v. *Aurelia.*

(2) Ad Vell. Paterc. II. 32.

(3) Vid. in primis Orat. pro Plancio c. VIII., in Catil. IV. 7; add. ad Att. I. 16, ad Q Frat. II. 6 et 17, Ascon. in Scaur. et Milon extr., in Pison. §. 94, in Cornel. p. 67 et 78. ed. Orell., Sueton. in Caes. c. XLI., alii.

tota res appelletur (1), hoc ut de orationibus forensibus dici possit admodum vereor. Patrono enim hac ratione in judicio versanti duo potissimum pertimescenda fuissent, quorum neutrum negligere potuisset: primum quidem, ne equites Romani aegre ferrent homines plebeios sibi annumerari; deinde vero ne tribuni aerarii, quod non disertim commemorarentur, in eam inciderent opinionem, ut se ab oratore negligi putarent. Ad haec, si hos in Flacci causa judices sedisse equitumque nomine comprehendi potuisse arbitremur, necessario dicendum est, Ciceronem capitis quoque h. o. II. verbis *An equites Romanos? Judicabitis, principes ejus ordinis quinquaginta, quid cum omnibus senseritis* equitum nomine et numero eosdem complexum esse, quum quod, ut vidimus, verisimile non sit equites quinquaginta, quando tres ordines judicarent, singulis judiciis interfuisse, tum etiam, quod, nisi hoc fecisset, eorum ibi, dum praetereundi minime essent, rationem tamen nullam habuisse dici debeat. Hoc autem si statuamus, simul perhibebimus, tribunos non modo equites, sed principes etiam ordinis equestris appellari potuisse, quod tamen a veritate longe discedere omnino arbitror. Quae quum ita sese habere videantur, quum nec alia, ut videtur, conditione, tribuni equitum nomine contineri potuissent, jam eo adducti sumus, ut eos in orationibus in foro habitis nulla plane ratione equitibus adjun-

---

(1) Huic opinioni adhaerendum quoque censet Cl. Klenze *Fragm. leg Serviliae* Proleg. XVI. not. 76.

gi potuisse censeamus, quod, quum insuper viderimus, eosdem, si Flacci judicio re vera interfuissent, silentio ab oratore praeteritos fuisse veri simile non videri, eam habere debet efficacitatem, ut tribunos de Flacco judicasse negandum esse videatur. Hoc autem, si recte, ut opinor, negari potest, in eo Schol. Bob., quod tribunos de Flacci causa cognovisse arbitraretur, vehementer erravit, quod quum non semel ei accidisset, mirandum profecto esse nequit. In eo certe a vero discessit, quod tribunos aerarios ejusdem cum equitibus ordinis fuisse opinatus sit (1). Est tamen fortasse, cui opinio nostra repugnare videtur iis, quae vulgo de lege Aurelia traduntur, quum dicunt, cautum ea fuisse, ut judices e senatoribus, equitibus et tribunis aerariis legerentur (2): sed primum animadvertat, non eadem ratione, quid lex Aurelia sanciverit, a veteribus memoriae proditum esse (3): deinde vero quid Cicero Phi-

(1) Quod cel. Majus adnotavit, quasi Scholiastes non hac fuisset mente, hoc quomodo intelligendum sit nondum perspicio, quum hic verba tantum Ciceronis *principes quinquaginta* interpretari voluisse videatur.

(2) Vid. Bach. *Hist. Jurisp. Rom.* L. II. c. 2. Sect. 1. §. LXXVIII. (ed. 5. p. 178), Ernest. in Clav. v. *Aurelia*, Duker. ad Liv. Epit. XCVII., Klenze *Fragm. leg. Serviliae* Proleg. XV. et XVI. alii.

(3) Vid. Ascon. Paed. in Pison. §. 94, in Cornel. pp. 67 et 78 (ed. Orell.), Pseudo-Ascon. in Divin. §. 8 et Schol. Bob. in Orat. pro Flacco VI. 1. et in Clod et Curion. VII. 2. — Cic. in Verr. I. 16, II. 71, III. 96, V. 69; Divin. III. pro Cluentio XLVII., Plutarch. Pomp. p. 630 (c. XXII.), Liv. Epit. XCVII, Pseudo-Ascon. in Verr. I. 1., Vell. Paterc II. 32.

lipp. I. 8 et in Pison. XXXIX. dixerit, observet necesse est. Philipp. I. 8 orator »Quid, inquit, lege, quae promulgata est de tertia decuria, nonne omnes judiciariae leges Caesaris dissolvuntur? Et vos acta Caesaris defenditis, qui leges ejus evertitis?.... At quae est ista tertia decuria? — Centurionum, inquit. — Quid? *isti ordini judicatus lege* Julia, etiam antea Pompeia, *Aurelia non patebat? — Census praefiniebatur*, inquit. — *Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano*," e quibus manifesto apparet, centuriones, licet equestris ordinis non essent, lege tamen Aurelia a judicandi munere disertim non exclusos fuisse. Quod si penitus disquiramus, habere videbimur, quo doceatur, legem Aureliam nulli ordini judicia expressim tribuisse, sed censu quodam praefiniendo effecisse, ut judices ex ordinibus tantum senatorum, equitum et tribunorum aerariorum legi potuissent (1). Quod igitur Cotta lege sua judicia inter tres ordines communicasse dicitur, hoc ita accipi posse videtur, ut statuamus, lege Aurelia senatores, equites et tribunos aerarios judices legi potuisse, non vero semper necessario legendos fuisse (2).

Orat. in Pison. l. c. »Ecquid, inquit, vides, ecquid sentis, lege judiciaria lata, quos posthac

---

(1) Cf. Cl. Klenze l. c. c. VI. not. 1.

(2) Nescio an idem dici possit de Scholiaste Bob. Quod si hic doceat, legem Aureliam disertis verbis cavisse, ut ordines senatorum, equitum et tribunorum aerariorum, quisque pro parte tertia, judicarent, in hoc quoque errare videtur.

judices simus habituri? Non aeque legetur, quisquis voluerit: nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem conjicietur (1). Judices judicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. „Loquitur autem, ut Asconius ad h. l. monuit, de lege judiciaria Pompeii, qui eodem anno, quo oratio in Pison. habita est, legem istam tulerat. Vigente igitur Aurelia is fuit rerum status, ut ab hominum i. e. praetorum arbitrio et voluntate plane fere penderet, quinam in judicum decurias referrentur: quam ob causam fieri quandoque potuisse, imo factum esse suspicor, ut hujus legis tempore senatores tantum et equites judicia publica exercerent. Quum in judicibus legendis honestatis in primis et dignitatis ratio habenda esset (2), praetores religiosos et graves ex ordinibus fere senatorum et equitum judices legisse verisimillimum habeo, praesertim quum horum sine dubio maxima esset copia, quae, quod ad censum attinet, in judicum album referri posset. Alii vero, ii praesertim, qui auram popularem captarent, humilioris quoque generis hominibus judicatum dedisse videntur; atque hoc mo-

---

(1) „Hoc vix sanum: immo ortum e praeced. *conjicientur.* — *Coniicientur* O4x. — *Connitientur* vel *connitietur* Codd. aliq., unde FAERNUS (prob. Gar.) et L: — *connitetur.* Ad *simulationem* autem, puto, non *connitimur*, sed potius *confugimus*, vel *conducimur.*" — (*conferetur* L. susp. non recepta) [ORELL.].

(2) Vid. PHILIPP. I. 8.

do factum esse credo, ut tribuni aerarii judiciorum aliis temporibus participes, aliis vero expertes essent (1). Probat, ut videtur, hanc opinionem Ep. ad Att. I. 16, qua docemur senatores, equites et tribunos aerarios de Clodio judicasse, eosque reum absolvisse. Causa enim absolutionis, ut ex epistola intelligitur, genus fuit judicii, quale Clodius, lege consulari lata, habiturus non fuisset. Hortensius enim, quum metuisset ne Fufius, tribunus pl., legi consulari intercederet, effecit, ut ipse Fufius legem de Clodii judicio ferret. Hac autem lege cautum fuisse suspicor, ut senatores, equites et tribunii aerarii de Clodii causa cognoscerent; nam quod Hortensius metuebat ne Fufius alteri illi intercederet, hinc colligi posse videtur, hanc legem tribunos aerarios ad Clodii causam non vocasse. Quod si verum est, epistola illa conjecturam nostram confirmet necesse est. Probatur haec insuper, ut videtur, eo, quod inde explicari potest, qui factum sit, ut veteres non omnes, qui legis Aureliae mentionem faciunt, idem de hac ferant. Quum enim ex eventu de legis mente judicarent, facile fieri potuit, ut aliis ad tres, aliis vero ad duos fere ordines judicia lege ista translata fuisse visa sint. Neque obstat quod Velleius Paterc. II. 32 Cottam judicia inter senatores et equites *aequaliter* partitum fuisse scripsit, quum, si horum ordinum neuter,

(2) Ne quis opinetur tribunos aerarios repetundarum tantum judiciis interesse non potuisse, quum Asconius in Scaur. luculenter doceat tribunos istos de Scauro judicasse.

neque disertim exclusus, neque expresse ad judicatum vocatus fuerit, judicia ex lege Aurelia re vera ad utrumque *aequaliter* pertinerent (1). Objicienda fortasse videbuntur quae Asconius in Scaur. et Milon. ll. supra cc. dixit, qui ita loquitur, ut appareat singulos ordines ex tertia fere parte in judiciis istis judicasse: sed non omittendum, Scaurum lege Julia, Milonem lege Pompeia, utrumque post legem Pompeii judiciariam causam dixisse, neque igitur quod de his valet, hoc idem de Flacco dici posse. Hoc sane ex loco Pisonianae supra descripto constat, legem Pompeii judiciariam judices legendi potestatem arctioribus finibus circumscripsisse; quare in hac lege fortasse causa quaerenda est, ob quam deinceps judicandi munus aequaliter fere inter tres ordines divisum fuerit (2). Ceterum in hujus quoque legis interpretatione ratio haberi debet Philippicarum I. 8, quod arguere videtur, legem illam Pompeii judicandi munus nihilo magis ad senatores, equites et tribunos aerarios disertis verbis restrinxisse, quod ad verba Asconii in Pison. §. 94 recte intelligenda non nihil facere videtur (3).

---

(1) Hunc Velleji locum optime ceteroquin interpretatos videtur MANUTIUS ad orat. pro Cluentio XLIII., tribunos dicens Vellejum non quidem nominasse, sed tamen non exclusisse.

(2) Cf. Cl. KLENZE l. c. *Proleg.* XVI. not. 77.

(3) Paedianus l. c. Pompejum tulisse refert, *ut amplissimo ex censu ex centuriis aliter quam antea lecti judices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus* (senatorum, equitum et tribunorum) *res judicarent*, quo loco animadvertendum,

Hisce animadversis, negare non possum, maxime mihi arridere opinionem eam, quam supra de Flacci judicibus significavimus, praesertim quum, hac recepta, c. h. o. XXXVIII. et Capitis II. locum supra descriptum recte interpretari possim. Etenim me judice orator C. II. primum loquitur de judicibus senatoribus, quos ea fuisse mente significat, ut, suae ipsorum auctoritatis causa, Flaccum absolvi vellent: deinde vero ad equites se convertit Romanos, quos verba *An equites — tradidit vobis* solos spectant. Quum enim quod de senatoribus diximus perhibuisset, iisdem sine dubio dicere non potuit: *judicabitis quid cum reliquis senseritis:* atque hinc quoque explicandum, quare, licet non modo parti, sed toto omnino judicum consilio populus Romanus potestatem suam de reo tradidisset, orator equitibus tantum dixerit: *At is quidem omnem suam potestatem de nobis tradidit vobis.*

Ernestum (in Clav. v. *centuria*) et Bachium l. c. §. 86. (ed. 5 p. 182), verba *ex centuriis* interpretatos *ex decuriis*, hac in re a vero aberrasse, quum non de decuriis judicum, sed de populi centuriis sermo esse videatur. Quod autem ad verba *aeque tamen ex illis tribus ordinibus*, haec, si, ut verisimile est, ita capienda sunt, ut significent legem Pompejam nominatim de tribus ordinibus cavisse (Vid. Klenze l. c. *Proleg.* XVI. not. 77), interpretanda esse puto *ex ordinibus senatorio, equestri et plebeio* (vid. Philipp. l. c.), sed minime tamen inde conficio, idem lege Aurelia cautum fuisse.

§. 4.

DE TESTIMONII DENUNCIATIONE.

Capite h. o. IV. orator „adjunxit, inquit, illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denunciatione terreret". Idem dixit c. VIII. §. 18, ubi „Adolescens, inquit, bonus, honesto loco natus, disertus, cum maximo ornatissimoque comitatu venit in oppidum Graecorum: postulat concionem, *locupletes homines et graves, ne sibi adversentur, testimonii denunciatione deterret*," cet. et C. XV. §. 36: „Nisi vero hactenus ista formula testimonii atque orationis tuae describi ac distingui potest, ut Flacco absenti aliquid civitates tribuisse dicantur: Laelio praesenti, per se agenti, *vi legis*, jure accusationis, opibus praeterea suis *terrenti ac minanti*, nihil temporis causa subscripsisse aut obsignasse videantur."

Quonam quidem jure, quod ad testimonii in causis publicis denunciationem, XII Tabb. tempore usi sint Romani, non satis constat, siquidem utrumque, quod de negato testimonio agit, harum Tabularum fragmentum, ad causas tantum privatas spectare videtur. Alterum enim, ab Aul. Gell. Noct. Att. XV, 14. mutuatum, quod Gothofredus ad Tabulam refert septimam, sic se habet: QUI. SE. SIERIT. TESTARIER. (1) LIBRIPENS. VE.

---

(1) I. e. qui rei cuidam contractae testis interfuerit rogatus: cf GOTHOFREDUS ad h. l. et PHILIP. ARGELATUS ad Sigon. de judic. II. 15.

FUERIT. NI. TESTIMONIUM. FARIATUR. (1). IMPROBUS. INTESTABILIS. QUE. ESTO.; ad quem locum adnotavit Oiselius: »errant, qui hanc legem *ad testimonii denunciationem* referunt (2), quasi qui denunciati testimonium detrectant imbrobi intestabilesque esse hac lege declarentur, cum lex loquatur de eo, qui, cum se jam sivisset amtestari, id est, cum jam, ut testis, rei vel actui alicui, item velut libripens adhibitus fuisset, postea testimonium ferre de eo, cui interfuit, detrectat, quae actio Graecis δίκη λειπομαρτυρίας dicitur." (3) Alterum vero, quod exhibet Festus vv. *obvagulatum* et *vagulatio*, hisce continetur verbis: CUI. TESTIMONIUM. DEFUERIT. IS. TERTIIS. DIEBUS. OB. PORTUM. OBVAGULATUM. ITO.; de quo Cl. van Assen in Lection. de Hist. Jurisp. Rom. »Sententia, inquit, hujus fragmenti eo redit: Quodsi testis, qui rei contractae interfuit, postea, denunciato sibi testimonio, testari nolit, fiat ad ejus domum sive portam tertiis diebus,

(1) i. e. *fari iatur.* TESTIMONIUM FARI est *testimonium dicere:* IATUR ἀρχαικῶς dicitur pro *eat.* Significat igitur *ni testimonium eat dicere*, i. e., uti vult Gothofredus, nisi eat in judicium, ut testis officio satisfaciat. Cf. OISELIUS et JOH. LUDOV. CONRADUS ad Gell. l. l.

(2) E. g. SIGONIUS de judic. II. 15. Capienda autem sunt haec Oiselii verba, uti sequentia docent, de testimonii denunciatione, qualem ipse orator noster locis modo descriptis significat: non vero de ea, quae fiebat, quoties quis *ob portum* ejus, qui rei vel actui jam cuidam interfuisset, sed postea testimonium ferre recusasset, *obvagulatum iret.*

(3) Cf. GOTHOFREDUS aliique ad h. l.

i. e. per tres nundinas, querela et denunciatio cum convicio; nam turpe est et inhumanum negare testimonium, quo lis dirimi veritasque rei probari potest." (1). Recte autem Philip. Argelatus ad Sigon. de Judic. II. 15 scripsisse videtur, XII. quidem tabulis neminem invitum testimonium dicere coactum fuisse (2). Postea vero legibus pu-

(1) Addit vir cl.: „Eleganter de hisce rebus disputavit Cl. Haubold in Opuscul. Lips. 1825. Definivit hic obvagulationem, *legitimam testis, qui, quum rei gestae interfuisset, deinde, testimonio sibi denunciato, vel plane testari nollet, vel die testimoniis exhibendis dicta copiam sui facere negaret, in jus vocationem ad aedes ejus, testibus ad hoc adhibitis.* Derivavit doct. auctor hunc ritum ab ipso Jure Attico, comparavitque cum testium evocatione ea, quae in foro Attico dicebatur ἐκκλητεύειν. Rationes autem legis, praeeunte Cujacio, ita explicuit, ut tribueret verecundiae, quae vetat extrahi aliquem ex domo sua, ubi lares et penates habet. Abiit quidem deinde hic ritus, ut fit fere, in desuetudinem, sed vestigia ejus diu superfuerunt in evocatione reorum absentium in causa capitis per buccinam ad aedes ejus. Vid. Plutarch. in vita Gracchi et Varro de L. L. apud Haubold. p. 182."

Duae igitur hae XII. Tabb. leges conjunctim explicandae sunt significantque: si cui testis, qui rei contractae interfuerit, postea testimonium ferre recuset, aut copiam sui non faciat, is per tres nundinas, testibus adhibitis, ad aedes ejus convicio facto, testimonium ei denunciat, quodsi ne hisce quidem peractis ad dicendum testimonium venerit, notetur infamia juris, neque testimonium ejus in posterum audiatur, neque ipsi testimonium dicatur; ideoque errare videntur, qui Tab. II. fragmentum allatum interpretantur: »Si quis testibus ad rem suam repetendam destituitur, tertiis diebus ad domum rei exprobratum ito." Vid. Philip. Argel. l. l.

(2) Cf. Cl. Haubold l. a. Cl. van Assen laud.

blicorum judiciorum praetorumque edictis cautum fuit, ut invitis testimonium denunciari liceret, i. e. ut, qui testimonium dicere recusaret, is ad dicendum testimonium cogeretur (1); quare Quinctilianus Instit. Orator. V. 7 „duo, inquit, genera sunt testium, aut *voluntariorum*, aut *eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denunciare solet.*" Valerius enim Probus ex edicto perpetuo hancce refert formulam: *Quanti ea res erit, tantae pecuniae judicium recuperatorium dabo testibusque dumtaxat decem denunciandi potestatem faciam* (2), lexque Mamilia cavisse traditur: *In eam rem is, qui hac lege judicium dederit*, TESTIBUS PUBLICE DUMTAXAT IN RES SINGULAS X DENUNCIANDI POTESTATEM FACITO (3). Itaque legibus quoque repetundarum hac de re cautum

(1) Huc non pertinet l. 6 D. *de Testibus*, quae Licinium Rufinum Lib. II. *Regularum* scripsisse docet: »Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant." Spectat enim haec lex testes tantum domesticos, eosque, qui potentia ejus, cui testes fierent, subniterentur. Cf. WESTENBERG Princ. Jur. sec. ord. Digest. XXII. 5 §. 6 n°. 15.

Denunciare alicui testimonium proprie nihil est aliud, quam certiorem facere aliquem se testimonio ejus in judicio uti velle, ideoque petere ut statuto die adsit. Sic Cicero in Verr. II. 27 loquitur de testibus sponte venturis, quibus *testimonium denunciaverit*; c. h o. XV. »*Fratres*, inquit, *exhibe. — Non denunciavi;*" et c. XXXVII: »*venisset . . . . ., si esset denunciatum.*

(2) Vid GOTHOFRED. in Not. ad XII. Tabb. I. legem 1. et PHILIP. ARGEL. l. c.

(3) Vid. GOTHOFRED. l. c. et BRISSON. de V. S. v. *denunciare.*

fuit (1), cujus quidem rei vestigia exstant in fragmento legis Serviliae apud Sigon. de judic. II. 27 et Klenz. l. c. c. XII. De lege Cornelia testis est ipse orator noster quum orat. hujus pro Flacco locis supra descriptis, tum etiam in Verr. II. 26, ubi „testes, inquit, non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere coepit. Quod ego nisi meo adventu illius conatus aliquantulum repressissem et apud Siculos non Metelli, sed Glabrionis literis *ac lege* pugnassem: tam multos huc evocare non potuissem," et I. 19. „Non putasti me tuis familiarissimis in hanc rem testimonia denunciaturum, quae tuae domi saepe fuissent: ex quibus quaererem, signa scirentne fuisse, quae non essent?" Quod ad legem autem Juliam Caesaris, documento sit, quod Valerius tradit Maximus, qui VIII. 1. 10 „M., inquit, Aemilius Scaurus, repetundarum reus, a leo perditam et comploratam defensionem in judicium attulit, ut, cum accusator diceret, *lege sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere*, seque non recusare quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset, tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est" (2)

Haec autem testimonii denunciandi potestas effrenata non fuit, siquidem primum, ut sponte intelligitur, testimonium denunciari non potuit iis,

---

(1) Cf. Philip. Argelat. l. l.

(2) Cf. Ascon. in Scaurian. argum.

quibus omnino testimonii dictio interdicta fuit (1); deinde vero, ut ex iis, quae modo descripsimus, luculenter apparet, certum eorum, quibus denunciare liceret, numerum leges constituere (2); postremo certi quidam homines legibus et interpretatione a dicendo testimonio excusabantur, ita ut invitis testimonium iis denunciari non potuerit, Hujusmodi quid lege cautum fuisse Servilia, arguere videtur hujus legis fragmentum apud Sigonium l. l., sive potius Cl. Klenze l. c. ibique not. Excusabantur certe postea lege Julia judiciorum publicorum (3) . . . . rei sive reae

(1) Vid. WESTENBERG l. c. §§. 3, 4 et 6, cui add. lege Julia *de vi* cautum fuisse, ne hac lege in reum testimonium dicere liceret ei, qui se ab eo, parenteve ejus liberaverit, l. 3 §. 5 D. *de Testibus*.

(2) Pertinere huc quoque videtur l. 1 §. 2 *de Testibus*, ex Arcadii libro *de Testib.* singulari petita, qui »Quamquam, inquit, quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus sit: tamen ex constitutionibus Principum haec licentia ad sufficientem numerum testium coarctatur, ut judices moderentur et eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur: ne effrenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur.''

Quod modo de numero eorum, quibus testimonium denunciare licuerit, Valerium Maximum docere vidimus, hoc igitur cum iis, quae de judicum numero supra (p. 33) monuimus quaeque infra (ad c. h. o. II.) de comitum numero dicemus, legis Juliae *repetundarum* inseratur fragmentis.

(3) AUGUSTI; vid. BACH l. l. III. 1, Sect. 2. §. XIII. (ed. 5. p. 335.) not. *k*.

Socer (sive Socrus),	Sponsus (sive Sponsa),
Gener (sive Nurus),	Sponsae (sive Sponsi) pater,
Vitricus (sive Vitrica),	Libertus (sive Liberta),
Privignus (sive Privigna),	Libertorum, Parentum, Viri sive Uxoris, Patroni sive patronae libertus,
Sobrinus sive Sobrina,	Patronus sive patrona (1).
Sobrino natus (sive nata) iique, qui propiore gradu essent,	

Excusabantur praeterea:

Senes,	Publicani,
Valetudinarii,	Qui non detractandi testimonii causa abessent,
Milites,	Qui quid exercitui praebendum conduxerint,
Qui cum magistratu reipublicae causa abessent,	Pupilli, i. e. pubertate proximi (3).
Ii, quibus venire non liceret (2),	

(1) Vid. ll. 1, 4 et 5. D. *de Testibus*. Cf. Cl. KLENZE *Fragm. leg. Serviliae* C. XIII. not. 10.

(2) L. 8 D. ibid.

(3) L. 19 D. ibid.; cf. WESTENBERG l. l. §. 4.

Spectat easdem quoque excusationes l. 3 §. 6 D. l. l., ubi Callistratus Lib. IV. *de Cognitionibus* scripsisse fertur, »Testes non temere evocandi sunt per longum iter: et multo minus milites avocandi sunt a signis vel muneribus, perhibendi testimonii causa; idque Divus Hadrianus rescripsit. Sed et Divi Fratres rescripserunt: »»quod ad

Quae quidem excusationes Imperatorum Septimii Severi, Caracallae et Alexandri temporibus in usu fuerunt, neque olim, maximam certe partem, ignotae fuisse videntur. Justinianus demum constituit, ut in causis, ut ait, criminalibus testes, omnes quocumque modo ad judices deferrentur: „exceptis tamen personis, quae legibus prohiberentur ad testimonium cogi, et etiam illustribus et his, qui supra illustres essent, nisi sacra forma interveniret" (1). Non utrique praeterea, quum accusatori, tum reo, testibus iis, quibus invitis denunciatum esset, uti licuit; sed accusatorum tantum hoc fuit privilegium. Sancivit quidem lex quaedam *ambitus*, ut, sicut accusatoribus inquirendi testibusque denunciandi potestas esset, ita rei quoque eadem potestate fruerentur;

---

testes evocandos pertinet, diligentiae judicantis est explorare, quae consuetudo in ea provincia, in qua judicat, fuerit: nam si probabitur, saepe in aliam civitatem testimonii gratia plerosque evocatos, non esse dubitandum quin evocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit, qui judicat."" Quod igitur docet Ulpianus, absentes scilicet, nisi testimonii detrectandi causa abessent, a testimonii dictione excusatos fuisse, hoc capiendum videtur de iis, qui per longum iter evocandi essent, aut quorum in provincia testes in aliam civitatem evocari non solerent; siquidem Callistratus aequalis fere fuit Ulpiano. Cf. Bach. l. l. III. 2, Sect. 5 §§. XXV. et XXXVI. (ed. 5. p. 469 et 480).

(1) Vid Nov. XC. 5 in fine et l. 16 C, *de Testibus*. Agnoscimus eandem hanc constitutionem in Jure hodierno, vid. Cod. *de instruct.* qui dicitur, *criminali* art. 80, 157, 354, 510 seqq. Add. Cod. Poen. art. 236.

sed spectavit tantum crimen ambitus, neque de reliquis hujusmodi quid cautum fuisse videtur. Plinii Secundi tempore Vareno tantum, repetundarum reo, SCto quodam hoc datum est privilegium, ut ei testes evocare liceret; quare Licinio quidem Nepoti, SCtum illud castigare rato, petendum videbatur a consulibus. ut referrent, an, exemplo legis illius *ambitus*, ad repetundarum quoque legem adjici placeret, ut in hac etiam causa inquirendi testibusque denunciandi potestas reis in posterum esset: quod tamen peractum non videtur (1). Animadvertendum vero est, accusatorem quidem, uti docet Heineccius Synt. Antiq. Rom. IV. 18. 26, invitis testimonium denunciare solitum fuisse, sed non tamen nisi auctoritate quaesitoris, quam ob rem lege quidem 6 D. XLVIII. 11 docemur, lege *repetundarum* Julia eos quoque teneri, qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint, et Quinctilianus l. l. *judicem* invitis testimonium denunciare dixit. Quibus autem denunciatum erat, hos ipsos ad testimonium dicendum venire oportuit; neque, postquam absentibus testimonium per tabulas dicere permittebatur (2), hocce jure uti potuerunt, quoniam nemini, nisi testi voluntario, testimonium per tabulas dicere

---

(1) Vid. Quinctil. Instit. l. l., C. Plinii Epist. VI. 5; add. V. 20 et 21.

(2) Non semper absentes per tabulas testimonium dicere potuisse, disertim docet auctor *de Orator.* Dialog. XXXVI.

licuit (1). Qualem quidem subiverint poenam, qui, testimonio sibi denunciato, in judicium non venerint, non liquet.

§. 5.

DE OBSIGNATIONE.

Legitur c. h. o. IX. „Triduo lex ad praetorem deferri (literas), judicum signis obsignari jubet." Commemoratur eadem lex, ut videtur, orat. quoque in Verr. locis mox laudandis, quare Corneliam repetundarum, supra citatam, qua et Verres et Flaccus causam dixerunt, fuisse suspicor; quam id, quod ad tabulas attinet, e praecedentibus repetundarum legibus tralaticium habuisse inde conjicio, quod jam in legis Serviliae fragmento hujus generis tabularum mentionem fieri videmus (2). Quaequae vero sit, ne accusatores tabulis, quas secum in judicium deferre vellent, privarentur, cautum illa fuit, ut omnium, quas peterent, exceptis publicanorum tabulis, quas Romam ab accusatoribus deportari vetuit, potestatem his facerent ii, a quibus peterentur, poenaque hoc jussum sancivit (3). Quas autem deportari non sinebat, has accusatores aut ipsi exscribebant, aut ab aliis exscribi, recognitas et collatas ab hominibus honestissimis obsignari cura-

---

(1) Vid. Quinctil. l. saepius cit.
(2) Vid. Sigonius de Judic. II. 27.
(3) Orat. in Verr. II. 76, IV. 66.

bant signoque suo ipsi ornabant (1). Quas vero Romam asportaturi erant accusatores, hae et ipsae aut publicis vel privatorum signis munitae jam erant, aut quum his, tum etiam illis, judicii demum causa obsignabantur (2); quas tamen obsignationes, ut et superiores, lex praescripsisse non videtur, sed ab accusatoribus et iis, qui eas descripsissent, aut illis describendis adfuissent, aut quorum essent, factas fuisse suspicor, ab his, alias quidem ut ipsum illud, quod literis exprimebatur, confirmarent: alias vero, ut genuinas esse: alias denique, ut genuinarum vere exscripta et accurate assimulata exemplaria easdem continere testificarentur; ab iis, ut genuinas facile agnoscerent. Jubebat lex, ut locus allatus luculenter docet, triduo, postquam Romam delatae essent, tabulas ad praetorem deferri (3), judicum (quod neque Sigonius (4), neque Heineccius (5) animadvertisse videtur) signis obsignari, ne facile corrumperentur, in publico poni (6). Hae autem tabulae, in causis praesertim repetundarum, accepti maximam partem fuerunt et expensi; sed et auctionum, pactionum, literae hujusque generis aliae, quibus causae re ipsa confirmari possent,

(1) Orat. in Verr. II. 77, IV. 61 et 66; add. Sigon. et Heinecc. locis mox cit.

(2) Ibid. IV. 63 et 66.

(3) Cf. h. o. c. X.

(4) Cf. de Judic. II. 16.

(5) Synt. Antiq. Rom. IV. 18. 27.

(6) Cf. Schol. Bob. ad h. l.

in judicium deferebantur (1). Neque tantum, quas rei inimici proferebant, accepti et expensi tabulae in judicium admittebantur, judicumque signis obsignabantur: sed ipsorum quoque reorum, quo factum esse fertur, ut, quum ex suis quisque tabulis damnari coepit, tota harum tabularum conficiendarum consuetudo, quam olim diligentissime Romani custodierunt, in desuetudinem sensim abiret (2). Signis etiam judicum corroborata fuisse videntur dicta testium literis in judicio mandata (3): quibus igitur ab obsignationibus diversae iterum erant laudationum et testimoniorum eae, quarum exempla capita h. o. XV. et XVI. suppeditant; quin et quaestionum servorum, quarum Cicero orat. pro Cluentio LXIII. et LXVI. mentionem facit. Has privatis, illas (laudationum et testimoniorum), quem ad modum tabulas, publicae quum essent, publicis, privatas privatorum signis muniri solitas fuisse, ex veterum scriptis colligimus (4): idque eandem ob causam, quam ob rem praetor septem testium signis testamenta obsignari voluit (5).

---

(1) Cf. Sigon. et Heinecc. l. l.; add. orat. in Verr. IV. 62.

(2) Ascon. Paed. a Sigonio l. l. citat.

(3) Idem in Milonian. argum. (ed. Orell. p. 40) et ad §. 71.

(4) Cf. Orat. pro Cluentio cc. LXV. et LXVI. et c. h. o. l.

(5) Vid. Instit. Justin. *De testam. ordin.* §. 2, Gajus Comm. IV. §. 119.

Quatuor igitur potissimum obsignationum in causis publicis usu veniebant genera:

Aliud, quod judices lege exprimebant, quum in tabulis illis, ad praetorem delatis, quibus ipsae res gestae, ad causam, quae agebatur, pertinentes, significabantur, e. g. *accepti et expensi*, *pactionum*, *syngraphis*; tum etiam in scriptis iis, quibus testimonia ore prolata continerentur;

aliud, quod edebant accusatores in scripturis, ut videtur, omnibus, quas contra reum afferre sibi proposuerant;

aliud, quod publico fiebat signo in tabularum exemplis, publica auctoritate confectis, e. g. *accepti et expensi civitatis tabulis*, *pactionum*, *syngraphis*, *laudationibus*, *testimoniis*;

aliud denique, a privatis expressum,

in genuinis, aut ut rem ipsis comprehensam confirmarent, v. c. *pactionibus*, *syngraphis*, *quaestionum servorum tabulis*: aut ut genuinas esse testificarentur, ut *suas ipsorum accepti et expensi tabulas*;

in exemplaribus, ut accuratissime confectas esse suo testimonio docerent, e. g. *accepti tabularum et expensi publicanorum*;

fierique, ut ex his apparet, potuit, ut una eademque tabula, unius judicii causa, diversis ab hominibus ter obsignaretur.

Omnis autem obsignatio Romae cera, Asiae vero creta exprimebatur (1); quae quidem consuetudo maxima fuit causa, cur orator noster Acmonensium in hac Flacci causa testimonium, quod dicebatur, Romae confictum et falsum esse, manifesto apparere cc. h. o. XV. et XVI. contenderit. Quantam in judiciis obsignatio ista habuerit auctoritatem, quum re ipsa facile docemur, tum optime quoque eo conficere licet, quod *tabulis obsignatis agere cum aliquo* cessit in proverbium, quod in eum verti solebat, qui argumentationibus non modo, sed et ipsis verissimis rei instrumentis ad persuadendum utebatur (2).

§. 6.

DE JUDICIIS TURPIBUS.

Judicia turpia e sensu Romanorum ea sunt, quae damnatis infamiam irrogant, qualia fuerunt:

I. Publica omnia, (3)

II. In privatis judicia

furti,	injuriarum;
vi bonorum raptorum,	de dolo.

(1) Vid. cc. h. o. XV. et XVI. et Schol. Bob. ad h. l.

(2) Cf. Cic. Tuscul. Disput. V. 2.

(3) Ll. 1 et 7 D. *de publico judic.*, l. 1, l. 2 §. 3, l. 4 §. 4 D. *de his, qui not. infam.*, l. 1 §. 1 D. *de Calumniat.*, l. 16 C. *Ex quib. caus. infam. irrog.*; cf. WESTENBERG *Princ. Jur. sec. ord. Inst.* IV. 18.

servi corrupti (1), | depositi,
tutelae, | pro socio,
mandati, | fiduciae (2).

Haec autem qui subiverint, non semper infamia notabantur, nisi damnati essent

suo nomine,

a judice, non vero ab arbitro compromissario (3),

causaque cognita (4).

---

(1) De crimine *Stellionatus* Ulpianus Lib. VIII. *ad Sabinum* scripsit: „Stellionatus judicium *famosum* quidem non est, sed coercitionem extraordinariam habet:" et Lib. VIII. *de Officio Procons.* „poena autem stellionatus *nulla legitima* est, cum nec *legitimum* sit crimen," (vid. l. 2 et l. 3 §. 2 D. *Stellionatus*); Lib. vero VI. *ad edict.* crimen stellionatus *infamiam irrogat damnato*, quamvis publicum non est judicium (vid. l. 13 §. 8 D. *de his, qui not. infam.*).

(2) L. 42 D. *de V. S.*, l. 2 D. *de act. rer. amot.*, l. 56 D. *pro Socio*, l. 1, l. 4 §. 5 et l. 13 §. 8 D. *de his, qui not. infam.* ll. 5, 8, 10, 12 et 22, C. *Ex quib. caus. infam.* l. 21 C. *Mandati*, Instit. Just. *De poena temere lit.* §. 2, Theophil. *Paraph.*, Gaii Comm. IV. 182, pro Rosc. Amer. XXXVIII.—XL., pro Rosc. Com. VI., pro Caecina III., de Nat. Deor. III. 30, ad Fam. IX. 25.

(3) L. 13 §. 5 D. *de his, qui not. infam.* Non obstat Orat. pro Rosc. Amer. XXXIX. §. 114, nam *arbiter* ibi est judex; cf. de Offic. III. 17.

(4) L. 1, l. 4 §. 5, l. 6 §. 2 et l. 13 §§. 5 et 6. D. *de his, qui not. infam.*

Inter eos praeterea, qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo aut servi corrupti causam dixerint, eosque, qui tutelae, mandati, depositi, pro socio et fiduciae judiciis damnati fuerint, hoc intercedebat discrimen quod illi, vel pacto de crimine inito, infames essent, hi vero, pacto (1) intercedente, infamia non notarentur (2).

Nec omnibus, qui actionibus, quae ex contractu aut quasi ex contractu proficiscerentur, famosis, i. e. tutelae, mandati, depositi, fiduciae, in jus vocati damnatique essent, turpe hujusmodi judicium exstitit. Nisi enim actum fuerit contra eos actionibus directis, non vero contrariis, infames non habebantur (3). Actio autem pro socio, *ab* utraque (4) parte directa est.

Rationem quidem, cur judicia privata, quae contractui vel quasi contractui originem debebant, ea, quae supra significavimus, damnatos infamia

---

(1) Pretio dato, suaque voluntate, non jussu praetoris, l. 6 §§. 5 et 4 D. *de his, qui not. inf.*, l. 18 C. *Ex quib. caus. infam.* Vid. Cl. E. D. Schrader ad Instit. IV. 16 §. 2.

(2) Instit. Just. *de poenâ tem. litig.* §. 2, l. 1, l. 4 §. 5, l. 6 §. 5 et l. 7 D. *de his, qui not. inf.*, l. 18. C. *Ex quib. caus. infam.*

(3) L. 1 et l. 6. §. 7 D. *de his, qui not. infam.*, Instit. Just. l. l. Quid actiones directa et contraria differant, vid. l. 18 §. 4 et l. 17 §. 1 D. *Commodati*, l. 8 §. 2 D. *de negot. gest.* et l. 1 §. 8 D. *de contrar. tut. act.*

(4) Vid. Instit. Just. l. l. ibique Cl. Schrader, qui docet, dicendum potius fuisse *ab omni parte.*

notaverint, reddit Cicero pro Rosc. Com. VI. et pro Rosc. Amer. XXXVIII—XL. De infamia quorundam eorum, qui in Flaccum testimonium dixerint, et alibi orator noster loquitur, e. g. §. seq. 35, de Heraclide, Nicomede, Lysania et Pole XVIII. §§. 42 et 43 et XIX. §. 45. Animadvertas autem h. l., Romanos non eodem hac in re fuisse jure, quo quidem nos hodie utimur, quo cuivis scil. infamia notato testimonii dictio interdicta est (1). Quicunque tamen turpi judicio damnatus esset, hic in perpetuum omni honore ac dignitate privabatur.

§. 7.

DE HERMIPPO ADPROMISSORE.

Olim quidem quicunque, quod alius quis suo nomine promisisset, hoc idem, sive minus, eidem stipulanti, citra novationem, pro priori illo promitterent, hi omnes uno generali nomine dicebantur *adpromissores* (2), quorum tria tamen

(1) Vid. Cod. Poen. art. 7, 8, 18, 28 et 34, Cod. Civ. art. 22—25.

(2) Cf. cons. L. J. E. RAU *Disput. Jurid. Inaug.* Lugd. Batav. 1825 p. 41, BRISSON. *de verb. sign.* v. *adpromittere* et loca ab eo et Westenbergio *Instit.* III. 21 nº. 2 et *Dig.* XLVI. I. §. 2 laud. Quod docuit Westenbergius *fidejussorem* eundem fuisse, quem *sponsorem* et *adpromissorem* dixerint JCti, hoc de jure tantum Justinianeo accipiatur. Recte sane cons. Westrik *Diss. jurid. inaug.* Lugd. Bat. 1826 p. 23 *adpromissorem* eum esse dixit, *qui una*

erant genera, *sponsores* scil., *fidepromissores* et *fidejussores*. *Sponsorum* autem et *fidepromissorum* diversos fuisse a *fidejussore* docet Gaius (1), qui „ sponsoris, inquit, et fidepromissoris similis condicio (2), fidejussoris valde dissimilis. Nam

---

promittat, etiam promittat, idem promittat, sed non videtur animadvertisse, quod nobis tamen omnino statuendum videtur, *adpromissoris* nomen fuisse generale et omnibus, qui se pro alio obligantes ad contractum principalem accederent, commune. Omnibus enim, quae laudantur, legibus ita hoc vocabulo utuntur JCti, ut simul et fidejussores et sponsores et fidepromissores intelligere videantur; sed in primis L. 43 D. *de solut.* omne dubium hac de re tollere suspicamur; neque minus idem apparet ex l. 5 §. 2 D. *de V. O.* Equidem non nego, quod viro cons. placuit, quodque Diss. laud. pp. 72 seqq. multis exemplis docte docere studet, Tribonianum in colligendis Digestis vocabula ad jura sponsorum et fidepromissorum propria pertinentia sedulo expunxisse. Sed negari tamen nequit, de illis, quibus voc. *adpromissores* usurpatur, Pandectarum locis, verisimile non esse, Tribonianum ita voc. *sponsores*, *fidepromissores* et *fidejussores* delevisse, ut in eorum locum voc. *adpromissores* substitueret, quum, si omnes isti disertim commemorati fuissent, *sponsores* potius et *fidepromissores* expunxisset et tertium *fidejussores* integrum reliquisset, ut et aliis locis in Diss. laud. citatis eum fecisse ipse cons. auctor docet. Videntur igitur veteres JCti hoc ipso vocabulo *adpromissores* usi fuisse; quumque eorum, de quorum scriptis h. l. agimus, Pomponii certo tempore (Cf. BACH. l. c. III. 2 Sect. 5 §§. IV., XIII. et XIV.), sponsio et fidepromissio viguissent, hisce omnino consentaneum habemus quae de adpromissore diximus.

(1) III. 93 et seqq. et 118—125. Add. Cons. WESTRIK Diss. laud. p. 26.

(2) Cf. Cons. WESTRIK l. c. p. 25, ubi haec verba (*similis condicio*) non nimis premenda esse docet, siquidem

illi quidem nullis obligationibus accedere possunt, nisi verborum. Fidejussor vero omnibus obligationibus, id est, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contractae fuerint obligationes, adjici potest;" unde apparet, quod et Gaii §. 93 partim certe confirmat, Hermippum (C. XX.), qui, quod Heraclides a Fufiis mutuatus erat, hoc sua fide esse jusserat, in causa ab oratore commemorata, fidejussorem fuisse. Mutui enim obligatio *re* contrahitur, uti docet Instit. Tit. *quib. mod. re contrah. oblig.* pr. (1). Huic autem, Hermippo, inquam, fidejussori praesto nondum erat beneficium illud, quod postea demum Justinianus fidejussoribus largitus est, *ordinis* scil. sive *excussionis*, quod dicunt, quo creditor prius cogeretur debitorem, quam fidejussorem convenire (2). Videtur antiquitus quidem lege quadam hujusmodi quid cautum fuisse, idque ita, ut, etiam si debitor principalis abesset, fidejussores tamen a creditore conveniri nequissent, sed hic aut ipsum debitorem adire, aut a praetore, qui hac de re edicto cavere solebat, petere cogeretur, ut in latitantis bona se mitteret (3): sed hanc usu com-

---

sponsio et fidepromissio in plerisque quidem, sed non tamen in omnibus conveniunt.

(1) Add. Gaii III. 90, Gaii Visigot. II. 9 §. 2, l. 2 §§. 2 et 3 D. *de reb. cred.*, l. 52. §. 1. D. *de O. et A.* Cf. Instit. Justin. *de Fidejuss.* §. 1, Dig. eod. ll. 1, 8 §§. 1 et 6, l. 16 §. 3 et l. 54.

(2) Vid. Nov. IV. 1. Add. Westenb. ad Tit. Instit. *de Fidejuss.* no. 23.

(3) Vid. Nov. laud. praef. et c. 2, Tit. D. *Quib. ex*

probatam non fuisse, disertim scribit Justinianus. Praeterea quo tempore lata fuerit, non liquet. Cujacius „ non est, inquit, quaerenda in Pandectis vel Codice; vetustissima enim est et forsitan XII.

---

caus. in poss. eat. et Tit. D. *de reb. auct. jud. poss.* Add. Cl. KELLER *Ueber Litis Contestation* p. 469 et HEINECC. *Synt. Antiq.* IV. 6 no. 16.

Valde, ni fallor, erravit cons. Westrik Diss. laud. pp. 75 seqq., hanc semper fuisse juris rationem docens, ut creditor liberam haberet potestatem eligendi quem vellet, debitorem an fidejussorem: sed *pacto* tantum, quo huic juri disertis verbis renunciaverit, fieri potuisse, ut *exceptione pacti* a fidejussore repelleretur; cujusmodi pacti usum Imperatorum constitutiones confirmassent. Imo vero hujus generis pacta Romanorum, quae extant, legibus, locis certe a viro cons. citatis, non dicam non confirmari, sed ne commemorari quidem verisimilius habeo. Miror sane virum doct. non vidisse hujus generis pacta foeneratorum moribus prorsus repugnare. Si quid video, non *pactum* aliquod, sed ipsa stipulatio quandoque effecit, ut creditor, a fidejussore ante quam debitorem convenisset debitum petens, jure repelli potuerit. Etenim non semper fidejussorem interrogatum fuisse iis tantum verbis, quae exhibet Gaius III. 116, *idem* scil., *si reus quadraginta* (quae creditor ei crediderit) NON SOLVERIT *fide tua esse jubes?* disertim docet l. 16 §. 6 D. *de Fidejuss.* Sic etiam accipias l. 41 D. eod. verba *Si fidejussores* IN ID ACCEPTI SUNT, *quod a curatore servari non possit*, et l. 5 C. eod. *nisi* INTER CONTRAHENTES *aliud placitum doceatur*, l. 17 *nisi in id tantum, quod ex his* (pignoribus) *refici non poterit, acceptus sit*, et l. 19 *non posse creditorem, urgeri eum, qui mutuam accepit pecuniam, magis quam te convenire, scire debueras, cum si hoc* IN INITIO CONTRACTUS *specialiter non placuit, habeat liberam electionem.* Add. l. 52 pr. et l. 63 D. *de Fidejuss. et Mand.*

Tabul." (1), quod iis, quae vir summus e Ciceronis Ep. ad Att. XII. 14 et 17 et XVI. 15 affert, probari non credo. Non enim Cicero ibi demonstrat fidejussorem conveniri non posse, si reus locuples sit, uti voluit Cujacius, sed contra, nihil docetur aliud, quam creditori Ciceronis tempore, utrum vellet, convenire licuisse (2),

---

(1) Expos. Novell. laud.

(2) Cf. Cl. KELLER l. c. p. 466 et not. 11. et p. 476 not. 21, qui Graeterum, in eodem cum Cujacio errore versantem, satis perstringit.

In eodem errore cum Cujacio, Graetero, Pothierio aliisque nuperrime versatus est cons. v. d. Swalme *Diss. jurid. inaug.* Lugd. Bat. 1834, qui, quum se animadvertisse dixit, leges omnes, quae sibi ante oculos venerint, in quibus doceatur, creditorem pro lubitu aut reum principalem, aut fidejussorem, aut pignora persequi posse, vel ipsius Papiniani esse, vel eorum JCtorum, qui post hunc floruerint, legum certo 21 §. 5, 45, 46 et 67 D. *de Fidejuss.*, quas Tribonianus ex scriptis Javoleni, Africani et Scaevolae petivit, rationem nullam habuit. Neque Novellae IV. caput 1. recte cepit. Hujus enim verba, quae huc pertinent, sic se habent: *Ἀλλὰ τοῦτο δὴ θεραπευτέον ἡμῖν τὸν ἐγχωροῦντα τρόπον (οὐδὲ γὰρ ἦν τις ἐνταῦθα τῷ παλαιῷ νόμῳ διωρισμένη πρὸς θεραπείαν μέθοδος) καί τοι Παπινιανὸς ὁ μέγας ἦν ὁ ταῦτα πρῶτος ὑφηγησάμενος*, quae, quum verisimile non sit, legem istam antiquam post Papiniani demum tempora latam fuisse, manifesto ita distinguenda sunt, uti nos fecimus. Minime vero Imperator docet Papinianum primum fuisse, qui effecerit ut creditores liberam haberent potestatem eligendi, quem vellent, sed dixit tantum, Papinianum primum remedium quoddam excogitasse, quo succurreret creditoribus, si reus principalis abesset neque igitur conveniri posset, fidejussores vero adessent. Haec autem verba sic interpretor. Creditor, si

quod et argumento ex hujus orationis c. XX. petito satis corroboratur.

Eodem autem hoc jure ad Justiniani usque tempus Romanos usos esse, quum Imperatoris nostri Nov. laud. tum Digestorum, Codicis et Institutionum Titul. *de Fidejussoribus* luculenter demonstrant (1).

Itaque quum Hermippus nullo, uti diximus, gauderet beneficio, nihil ei supererat, quam ut Fufiis ipse persolveret et cum debitore, ejus, quod dependerat, recuperandi gratia, judicio experiretur, quod Jure Romano *actione mandati contraria* fieri potuit (2).

Quaeri tamen h. l. potest, utrum Hermippus, quum, ut infra commemorabimus (3), Q. Mucius

---

a fidejussore hoc tantum stipulatus fuerit, quod a debitore servari non posset, nisi hunc convenisset et judicio persecutus fuisset, contra illum profecto, vi ipsius contractus, agere non potuit. Durum tamen videbatur, creditorem, si reus principalis abesset, pecunia sua mutua data privari, praesertim quum fidejussores in securitatem debiti acceperit. Itaque Papinianus hujusmodi causae illud excogitavit remedium, cujus Imperator l. c. mentionem facit; neque igitur dicendum est ante Papiniani aetatem creditorem prius reum principalem, quam fidejussores convenire debuisse.

(1) Vid in primis Instit. §. 4, ll. D. 45, 46, 49 pr. et §. 2, ll. 57 et 62, ll. C. 3, 5, 19, 21 et 23.

(2) Gaii III. 127, Instit. Just. *de Fidejuss.* §. 6, *de Mandato* §. 1, Westenberg Instit. III. 21. n°. 26 et III. 27 n°. 20 seqq. et Dig. XVII. 1. §§. 33—38, Cl. E. Schrader ad Inst. l. c., quosque hi laudant, loci.

(3) Ad c. h. o. XVIII.

P. F. edicto suo Asiatico statuisset, ut Graeci inter se disceptarent suis legibus, Graeco an vero Romano, i. e. provincialium jure cum Heraclide contenderit; sed respondere videtur, totam Ciceronis causae expositionem omnino innuere judicium jure Romano factum fuisse (1). Cujus rei causam quaeras fortasse licet, quum in eo, quod obligatio principalis, cujus Hermippi contractus fuit accessio, Jure Romano erat constituta: tum vel maxime in hoc, quod verisimillimum est, quod Graeci post bellum Mithridaticum Scaevolae privilegio maximam certe partem privati essent (2).

§. 8.

DE JUDICIO C. ANTONII.

Oppressus est C. Antonius. Esto: habuit quandam infamiam suam (C. XXXVIII). C. Antonium Ciceronis in consulatu collegam, insigni hujus erga patriam amore provinciam nactum Macedoniam, unde a. u. 693 redierit, anni deinde 695 initio reum factum, ejusdemque ante mensem Aprilem damnatum fuisse, ex iis, quae ad hunc locum Garatonius adnotavit, satis jam constat (3). Cujus-

(1) Cf. c. XXI. ibique in primis decretum Q. Ciceronis.
(2) Cf. SIGON. *de antiq. jur. prov.* I. 10, p. 513 D. E.
(3) Nititur haec viri Cl. sententia Orat. pro Domo C. XVI., in Vatin. C. XI., Epist. ad Att. II. 4—18 et Sueton. *Caes.* XX.

nam vero criminis, a quibus et apud quem accusatus fuerit, videamus. Dio Cassius Hist. Rom. XXXVIII. 10. οὗτος, inquit, (C. Antonius) πολλὰ μὲν καὶ δεινὰ καὶ τὸ ὑπήκοον τὸ ἐν Μακεδονίᾳ, ἄρξας αὐτῆς, καὶ τὸ ἔκσπονδον εἰργάσατο· πολλὰ δὲ καὶ ἀντέπαθε. τά τε γὰρ τῶν Δαρδάνων καὶ τὰ τῶν πλησιοχώρων σφίσι πορθήσας, οὐκ ἐτόλμησεν ἐπιόντας αὐτοὺς ὑπομεῖναι, ἀλλ' ὡς καὶ ἐπ' ἄλλο τι μετὰ τῶν ἱππέων ὑποχωρήσας ἔφυγε. καὶ οὕτω τοὺς πεζοὺς ἐκεῖνοι περισχόντες ἔκ τε τῆς χώρας βιαίως ἐξήλασαν, καὶ τὴν λείαν προσαφείλοντο, τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ περὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἐν τῇ Μυσίᾳ ποιήσας ἡττήθη τῇ τῶν Ἰστριανῶν πόλει πρὸς τῶν Σκυθῶν τῶν Βασταρνῶν ἐπιβοηθησάντων αὐτοῖς, καὶ ἀπέδρα. οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ τούτοις αἰτίαν ἔσχεν, ἀλλ' ἐγράφη μὲν ἐπὶ τῇ τοῦ Κατιλίνου συνωμοσίᾳ, ἑάλω δὲ δι' ἐκεῖνα· καὶ συνέβη αὐτῷ, ὧν μὲν ἐκρίνετο, μὴ ἐλεγχθῆναι, καὶ ὃ μὲν οὕτως ἀπήλλαξεν. Nemo, arbitror, ex hoc loco non conficiet, Antonium Catilinariae conjurationis causa reum factum et hoc judicio damnatum fuisse: non, quod judices illius conjurationis participem re vera eum fuisse credidissent, sed quod reus crimine majestatis se maculasse visus iis fuisset. Recte enim Ferratius ad argum. orat. pro Sulla: „majestatis, inquit, lege tenebantur, *qui hostium duces, accepta pecunia, liberaverant*, ut C. Verres Orat. L. I. c. 5, *qui legiones sollicitaverant*, ut C. Antonius apud Dionem, *qui in alienam provinciam contra SCta et legem populi legiones duxerant*, ut A. Gabinius ex Epist. ad Q Fratr. III. 1 et seqq., *qui tribuno pl. in-*

tercedenti non obtemperaverant, ut C. Cornelius apud Asconium" (1). Neque est, cur Dioni fidem denegemus, quum idem doceat Cicero orat. pro Caelio quum c. XXXII., ubi Antonium, *quod rem publicam violasse haberetur*, idcirco in judicium vocatum fuisse dixit (2), et c. VII., ubi ipsis verbis *conjurationis accusatione* criminationem, qua petitus fuerit, disertim significat, tum etiam c. XXXI., ubi praeclari in rem publicam beneficii memoriam nihil ei profuisse, *opinionem vero maleficii cogitati nocuisse* contendit. Quod enim Manutius ad h. l. et in Vatinium c. XI. verba *maleficii cogitati* ad conjurationis accusationem refert, hoc minus recte fecisse merito habetur: praesertim quum Ciceroni nostra interpretatione, quae et maximam partem Garatonii est, Dio optime concilietur. Quod vero eadem Ferratio Lib. I. ep. II ad repetundarum judicium, quo Antonium causam dixisse perhibet, spectare visa sunt, hoc ejus errori tribuatur. Repetundarum enim crimine Antonium hoc tempore reum postulatum non fuisse, optime jam docuit Garatonius, qui, „non, inquit, videtur repetundarum accusatus Antonius. Repugnat enim Ferratio et Manutio (3), id putantibus, brevitas ejus temporis, quod Antonii judicio tributum ostendimus. Actio repetundarum multo plus temporis postula-

---

(1) Add. Tit. D. *ad leg. Juliam majest.* ll. 1—4 et 10.

(2) Cf. Orat. pro Caelio I.

(3) Add. Schol. Bob. ad orat pro Flacco II. 5 et MAIO ad h. l., ABRAMIO ad C. XXXI. pro Caelio, ERNESTO in Clave et SCHUETZIO in Indice.

bat, ut notum est;" quibus addidit, vere omnino Pighium perspexisse, T. Vettium h. a. praetorem fuisse repetundarum, apud quem Antonii causam peractam non fuisse constet. Praeterea nititur haec de repetundarum accusatione opinio duobus his locis, quorum alterum invenies Juvenal. Satir. VIII. v. 105 seqq., ubi legitur:

„Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos,"

alterum Ep. ad Att. I. 12., qui habet: „Antonium porro in cogendis pecuniis (dum in provincia est) dictitare partem mihi quaeri, et a me custodem communis quaestus libertum esse missum;" de quibus idem doctissimus ille Manutii, Ferratii aliorumque hac in re refutator: „hoc tantummodo ex eo loco et altero Juvenalis conficitur, maxime insignem Antonii fuisse in cogendis pecuniis avaritiam flagitiosamque cupiditatem." De Juvenali praeterea suspicari omnino licet, Thom. Farnabium, id, quod Epist. cit. Ferratius negat, recte vidisse, poetae Achaiam ob oculos versatam fuisse, quum Asconius in orat. in toga cand. (ed. Orell. p. 84) Gellium scribat et Lentulum censores (a. u. 684) senatu Antonium movisse, causasque in eum subscripsisse, *quod socios deripuerit*, quod judicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia manciparit bonaque sua in potestate non haberet. Ne quis autem legem Vatiniam ob caput orat. in Vatin. XI. alicujus hic pretii faciat, ad c. h. o. VI. prospexisse videmur. At, dicat aliquis, majestatis ac-

cusatus fuit Antonius. — Quonam tandem? Idemne dicis majestatis crimen, quod et Manutius aliique, conjurationis nempe? Dioni igitur, quod ad rem attinet, credas necesse est; verbum vero Ferratius castigabit (1). — Non, inquit, dico. — Ferratium igitur sequeris? Scilicet hic ipse te defendet, nullo tamen argumento; Garatonius vero oppugnabit, ut nobis saltem videtur, fortissime (2). Quae quum ita sint, unius tantum conjurationis accusatione Antonium causam dixisse constare jam videtur; neque igitur apud duos, sed apud unum tantum quaesitorem in judicium vocatus fuerit necesse est. Quod olim orat. in Vatin. c. XI. legebatur, *dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum et Q. Claudium*, hoc Manutii, Ferratii, Pighii aliorumque opinioni, Antonium duobus judiciis petitum fuisse arbitrantium, haud parum sane roboris suggerere videri debuit; sed quum cuivis hodie probatum sit legendum esse *Cn. Lentulum Clodianum* sive *Claudianum*, ne hoc quidem argumento niti iis amplius licet. Cautum fuit lege Lutatia, a. u. 676 a Q. Lutatio Catulo, M. Aemilii Lepidi in consulatu collega, lata (3), ut de conjuratione extra ordinem quae-

---

(1) Ad argum. orat. pro Sulla.

(2) ad Ep. Ferrat. cit. n°. 4.

(3) Hanc legem minus recte a Bachio et Stockmanno referri ad a. u. 652. C. Mario IV. Q. Lutatio Catulo coss. ex ipsis, quae laudant, locis orat. pro Caelio I. et XXIX., et Ernest. in ind. satis apparet. Add. Pighii Ann. a. u. 675 et Schuetzii Ind.

reretur (1), quo factum, ut, qui consul jam (a. u. 682) et censor (a. u. 634) fuerat, idem hic Antonii judicio praeesse potuerit. Itaque quum cujusnam criminis et apud quem Antonius accusatus fuerit, jam patere videatur, superest, ut quinam in judicium eum vocaverint videamus. Accusatus fuit a Q. Maximo, uti Ciceronis orat. in Vatin. l. l. luculenter demonstrat, sed etiam a M. Caelio, ut orat. pro Caelio c. c. VII., XXXI. et XXXII. cit. manifesta docent. Caninium quoque Gallum ejusdem fuisse accusatorem Valerius Maximus tradit IV. 2; neque obstare quidquam videtur, quominus hos omnes uno simul conjurationis judicio Antonium reum postulasse credamus (2). Ferratio enim, Manutio aliisque, Q. Maximum repetundarum, M. Caelium majestatis causa Antonii nomen detulisse docere conatis, acute, ut supra vidimus, repugnat Garatonius. Neque est, quod peculiari loco de Abramii adnotatione ad orat. pro Caelio c. XXXI. disseramus, qui „accusavit, inquit, (M. Caelius) C. Antonium lege repetundarum, ex provincia Macedonia digressum. In judicium sic vocavit, ut tamen maximam accusationis partem, non in repetundarum, sed in conjurationis crimine consumpserit. Quasi Antonius Catalinariae conjurationis fuisset particeps;" quippe quae iis, quae dicta sunt, satis jam refutantur. Omnino et h. l. verum vidisse

---

(1) Orat. pro Caelio I.
(2) Vid. Garaton. ad Orat. pro Sulla XXXIII.

videtur optimus Ciceronis interpres, Garatonius, qui ad orat. pro Sulla c. XXXIII. Q. Maximum Antonii proprie accusatorem (1), M. vero Caelium et Caninium Gallum illius subscriptores fuisse, suspicatum se esse dixit.

---

(1) Cf. in Vatin. C. XI.

PARS TERTIA.

ADNOTATIO.

CAPUT I.

Etenim quum a clarissimis viris justissimas inimicitias saepe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem.

Hujus rei exempla videre licet orat. de prov. cons. cc. VIII.—X. et XX., post Red. in Senat. c. X., Valer. Maxim. IV. 2, Epist. ad Fam. I. 9.

CAPUT II.

At is ipse auxilium petit a vobis et confirmationem auctoritatis suae vestrae potestati permissam esse sentit.

Manutius explicat: „ut senatus mentem de L. Flacci salute vestrae sententiae coconfirment;" quod quodammodo quidem recte, sed non satis tamen oratoris verba explanare videtur. Itaque hoc fere modo locum intelligendum puto. Quum multos scelestissimos homines ac domesticos hostes quaecunque possent, ut tota res publica everte-

retur, moliri, atque hoc etiam consilio Flaccum ab iis accusari videret senatus, persuasum sibi habere debuit, se auctoritatis suae maximam partem amisisse. Quem igitur antea, hac auctoritate nixus, defensurus fuisset, eundem in hac rerum conversione ab injuriis vindicare non valebat; imo vero, quum audacissimorum illorum odium Catilinae conjuratione (loquimur e mente Ciceronis) opprimenda quam maxime Flaccus in se excitasset, (quam tamen conjurationem senatus auctoritate oppresserit) cum hujus, quae agebatur, causa ipsius senatus salus arctissimo vinculo cohaerebat, ita ut a judicum, quas in hoc judicio laturi essent, sententiis tota fere penderet neque Flacco damnato salva esse posse videretur. Itaque senatus ipse a Flacci judicibus supplex petivit ut sibi prospicerent, i. e. ut Flacco absolvendo senatus auctoritatem confirmarent. Arguunt haec, ut nobis saltem videtur, quum tota haec orationis pars, tum praesertim verba *permissam*, i. e. totam traditam, relictam (1), esse sentit.

Si inconstanter nomen suum misit in hoc judicium per egentissimos testes.

Doct. Cramerus „non satis, inquit, intelligo quid sit *nomina mittere in judicium per egentissmos testes.* Quid sint *libelli nominum judicum* apud eundem auctorem in Verr. I. 6 percipio, verum ii non *per testes* mittebantur;

---

(1) Cf. pro Rabir. Post. V. et pro Fonteio XIV.

et Heinrichius: „*mittere in judicium* est facere ut de re judicetur, quae locutio rectissimae latinitatis mittenda in Thesauros expertes ejus. Quid vero est *nomina mittere?* Mendum agnosco et corrigo: *si inconstanter omnia misit in hoc judicium.* Vix crebrior sit ulla alia confusio, quam vocabulorum *omni* et *nomen*, vid. Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 52". Nusquam vero quidquam huc usque reperi, quod doceret, *mittere in judicium* eam habere significationem, quam huic locutioni Heinrichius tribuit. *Judices* enim saepissime, uti notum est, in judicium mitti dicuntur, non vero ut *judicentur*, sed ut *judicent:* quod si spectamus, *in judicium mittere aliquid aut aliquem* significare, *facere ut judicet*, minime vero *ut judicetur*, dicamus necesse est. Sed *nomina mittere* eodem plane sensu usurpari, quo etiam *servos*, *literas* cet. *mittere* dicimus, legis 1 §. 10 D. *de magistratibus convenien.* (1) et l. 24 D. *de tutor. et curat. dat.* (2) probare videmus, quo factum ut *nomen suum mittere in judicium* significare posse credamus, *facere ut nomen suum ad judices perveniat.* Itaque, etiam

---

(1) „Si quando desint in civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur, officium est Magistratuum exquirere ex vicinis civitatibus honestissimum quemque, et *nomina* Praesidibus provinciae *mittere;* non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare." (Ulpianus L. XXXVI. ad edictum).

(2) Videmus h. l., quae Ulpianus Lib. XXXVI. ad edictum adnotavit, eadem Lib. IX. Responsorum descripta habuisse Paulum, cujus verbis simul docemur, utrum-

si Heinrichii interpretationem, quam huc usque recipere non ausus sum, admittendam esse opinarer, non omnibus tamen locis eam convenire, sed v. *mittere in judicium* triplicem habere significationem, suspicari me oportere censerem. Nunc vero duas iis tribuam, (quem ad modum *venire* quoque *in judicium* aliis locis significat *judicari, rationem alicujus in judicio haberi* (1), aliis vero idem est atque *ad forum, ad locum, ubi judicium habeatur, accedere* (2)), quarum altera judicibus sit propria, altera vero de ceteris hominibus et rebus usurpatur. Neque sane haec verborum, de quibus agimus, interpretatio apta huic loco non videtur. Veteres enim, ut inane quid ejus, quod requireretur, locum occupasse significent, vocabulo interdum *nomen* utuntur, quod non satis accurate viri docti in Lexicis explicuerunt (3). Sic C. Nepos in Agesilao I. (4), Livius V. 18 (5) et VII. 29 (6), qui locus omnino cum nostro Ciceronis est conferendus, Ho-

---

que JCtum omnia ista sumsisse e Divi Marci et Veri epistola ad Cornelium Proculum.

(1) Cf. l. 4 §. 2 D. *fin. regund.*, l. 25 §. 9, l. 2 §. alt. D. *famil. ercisc.*, l. 55 §. ult. D. *locati*, l. 9 D. *rem pupilli salvam*.

(2) Cf. l. 62 §. 1 D. *de evict. et duplae stipul.*, Nepos *Epamin.* c 8, Cic. in Verr. Act. I. c. 3.

(3) Vid. Scheller Lexic., Ernest. Clav., Schuetz. Ind.

(4) „Nomine magis quam imperio."

(5) „Me jam non eundem, sed umbram nomenque."

(6) „Magis nomen ad praesidium sociorum, quam vires."

ratius Epist. I. 17, 41 (1); quin et orator noster sic loquitur, ubi „quare, inquit, nolite mihi ista *nomina* civitatum nobilium opponere" (2). Neque aliter idem nostro loco hoc vocabulo usus esse videtur. Asiam enim, ut deceret accusantem, cives amplissimos, testimonia gravissima nobilissimis ex civitatibus mittere oportuisset; quod quum non fecisset, sed testibus egentissimis, psephismatibus levissimis Flaccum opprimere conaretur, recte orator, ratione habita ejus, quod dignitas judicum, gravitas judicii, aequitas accusatoris omnino postularent, inane quid eam in forum attulisse dicere potuit. Quum autem Asiaticae praeturae nomine Valerius reus postulatus fuerit testiumque maxima pars Asiatica esset origine, nemini, credo, cur Tullius h. l. *nomen suum Asiam in judicium misisse* dixerit, non patebit, vocabuloque *nomen* inanem quandam rem exprimere eum voluisse, quum e praecedentibus, tum ex iis, quae sequuntur, quisque, opinor, facile colliget. Atque his dictis satis jam ostendisse videmur, v. *nomen* sive potius *nomina*, ut ante Peyronium legit Maius, nobis non in *omnia* mutandum, sed lectionem *nomen suum* omnino retinendam videri; cui opinioni idcirco adhaerendum

(1) „Virtus nomen inane est."

(2) C. h. o. XXIV.; add. pro Murena c. V. „quamobrem non *Asiae nomen* objiciendum Murenae fuit,..... *sed aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus*"; et in Verr. Act. I. 6: „Proponit (Verres) inania mihi nobilitatis, hoc est hominum arrogantium *nomina.*"

censemus, quod tota Ciceronis, quae ex h. l. colligitur, argumentatio quam maxime ei favere facile probari potest. Quod igitur v. *nomen orator usus sit*, hoc explicare jam conati sumus: cur autem verbum *mittere* usurpet, verborum sensus ipse interpretatur. Voluisse enim Ciceronem suspicor, non *misit* Asia, quae *mittere* oportuit, sed *misit* inane quid: non testes idoneos, nec testimonia verissima, sed nomen suum, inane nomen.

Ceterum animadvertas quibus argumentationibus orator usus sit ut accusationis aequitati quam plurimum detraheret. Primum enim, ut crimen verisimile non esse contendat, profitetur, etiam si tota Asia Flaccum ad supplicium deposceret, quum et vita ejus ante acta criminis verisimilitudinem non modo non probaret, sed rei integritatis conjecturae arridere omnino videretur, et civium amplissimorum amicitia, civitatum nobilissimarum testimonia, provinciarum gravissimarum legationes, patriae denique salutis memoria absolutionis spem maximam afferrent, se eum defensurum et ab accusatorum injuria vindicaturum fuisse; deinde vero, ut id, quod contenderat, magis illustret, non totam Asiam accusare; sed partem tantum; neque hanc optimam, neque incorruptam, neque sua sponte: sed impulsam, sollicitatam, concitatam, coactam; nec jure, nec more, nec religiose, nec integre: sed impie, temere, cupide, inconstanter: quae criminationis iniquitatem arguunt; postremo, non legatos amplissimos, literas incorruptas, documenta integra: sed, quum nihil ve-

re de injuriis queri posset, testes egentissimos, tabulas depravatas, verbo, nihil nisi nomen inane in judicium eam misisse: quibus accusatorum calumniam affirmare studet.

CAPUT IV.

Da mihi testimonium mutuum.

Ad h. l. cf. Des. Erasmus, qui Adag. p. 1449. "Δάνεισόν, inquit, μοι μαρτυρίαν, i. e. da mihi mutuum testimonium, hoc est, da mihi suum testimonium, recepturus itidem meum, si quando desiderabis. In eos recte jaciendum, qui se mutua talione laudant ac praedicant: aut qui mutuo studio sibi invicem suffragantur: aut qui ad gratiam testificantur, neglecta religione."

Inimicus M. Caelius, quod, quum in re manifesta putasset nefas esse, publicanum judicare contra publicanum, sublatus erat e numero recuperatorum.

Ad verb. *putasset* Manutius et Ernestus, quos et alii hac in re sequi videntur, adnotarunt, intelligendum esse *Flaccum*, quod nec verborum constructio, nec res, de qua h. l agitur, ipsa ferre mihi videtur. Locum enim sic capio. Habebat provinciae praeses consilium quoddam viginti recuperatorum, qui dicebantur *peregrini* (1),

(1) Vid. Ulpian. Fragm. I. 13, Theophil. Instit. *qui et quib. ex caus. manum. non poss.* ibique G. O. Reitz.

quorumque in numero Flacco Asiae praetore M. fuit Caelius. Qui, quum certae cuidam causae contra publicanum quendam actae, ipse publicanus, a Flacco judex datus esset, negavit, quod publicanum contra publicanum judicare nefas esse putaret, se judicaturum. Praetor vero, quum res sit *manifesta*, instat atque urget; Caelius perseverat; quem quum adigere Valerius non posset, e numero recuperatorum, i. e. e consilio viginti illorum, sustulit. Atque haec inimicitiarum fuit causa, neque igitur ad Flaccum, sed ad Caelium verbum *putasset* referendum esse suspicor. Fortasse *e numero recuperatorum* non tantum ad XX. illos, sed ad eos quoque omnes, qui recuperatores dari potuissent, spectant: sed quidquid sit, quod ad interpretationem verbi *putasset* attinet, res eodem redit, satisque, quam ob rem Flaccus judicandi munere Caelium privaverit, intelligi posse credo.

CAPUT V.

Quem spero his rebus fore magno usui et amicis et rei publicae.

Placet omnino conjectura Garatonii, pro *his verbis*, sive pro *his rebus*, ut Orellius aliique habent, legentis *his nervis*. Beckio enim hanc emendationem improbanti quod nullus sit locus, in quo ita absolute, non aliis vocabulis adjectis, verba *his nervis* legantur, opponimus orat. pro Sextio VII. „qui tribunus plebis (P. Clodius) fe-

lix in evertenda re publica fuit *nullis suis nervis*. Qui enim in ejusmodi vita *nervi* esse potuerunt hominis," cet.

CAPUT VI.

Itaque hanc partem totam relinquam: tantum a vobis petam, judices, ut, si quid ipsi audistis communi fama atque sermone, de vi, de manu, de armis, de copiis, memineritis: quarum rerum invidia, lege hac recenti ac nova, certus est inquisitioni comitum numerus constitutus.

Sic Orellius edidit. Venetam, Juntinam et Huldricum secutus. Alii vero habent, *de copiis: memineritis, quarum* cet. sive, *de copiis, memineritis, quarum* (1), quod si accipiamus, Ciceronem voluisse ut judices in memoriam revocarent, quarum rerum invidia exstiterit causa, quam ob rem lege recenti ac nova certus esset inquisitioni comitum numerus constitutus, dicamus necesse est. Hoc autem, quum, mentione ejus, quod lege continebatur, sponte pateret, meminisse judicibus opus non fuit, neque erat, quantum conjicio, cur Cicero hujusmodi quid petivisset. Etenim judices, oratori obsequentes, nihil amplius, quam hoc, quod, vel nulla lege lata, fugere eos non potuit, ut scirent, scilicet, in criminum inquisitione vim, et manum, et arma, et copias populo invisa esse et odiosa, consequi

(1) Vid. Edit. Verburg. et Beck.

potuisse videntur. Erit fortasse qui dicat, Ciceronem petivisse, ut judices recordarentur ejus, quod nuper lege esset cautum, eumque hanc ingressum fuisse viam, ut Laelium injusti quid, quod tamen, quum ante legem latam perpetratum fuisset, crimini ei dari non posset, admisisse significaret: sed omnino vereor, ut locus allatus hanc interpretationem admittat. Accedit quod Beckii ceterorumque, qui cum eo faciunt, distinctio mutationem verborum *certus est* in *certus sit* necessario requirit (1), quam tamen veram enasci lectionem, nondum mihi persuadere potui, quum quod nullo codice confirmatur, tum quod Schol. quoque Bob. vulgatam exhibent. Quae quum ita sint, Orellii editionem sequendam esse suspicor, Ciceronemque a judicibus petiisse statuo, ut quae communi fama atque sermone de vi, de manu, cet. audivissent, eadem in memoriam revocarent. Hac interpretatione recepta, omnia bene inter se cohaerere videntur. Dixerit enim orator, se totam illam partem, de comitatu et sumtibus relicturum, i. e. singula hisce rebus perpetrata flagitia non commemoraturum esse: sed tantum a judicibus petere, ut si quid ipsi his de rebus earumque effectubus audivissent, ejus meminerint: neque verba *ipsi* et, quae sequuntur, *ut hanc vim omittam* opinionem istam levi argumento corroborare suspicor. Discernant vero docti.

---

(1) Vid. Faërnus, Ernest., Lambin., Schuetz. et Beck. ad h. l.

Lex, de qua h. l. sermo est, videtur esse Julia repetundarum, hoc ipso anno, quo Flacci causa acta est, ut supra monuimus, lata; neque recte, opinor, Schol. Bob. (1), quum id, quod Cicero h. l. commemorat, repetundarum causae sit proprium, ideoque omnino ad hujus generis leges referendum videatur, „legem, inquit, judiciariam videtur significare (orator) a P. Vatinio, tribuno pl., sive a Q. Fufio Caleno perlatam." Equidem Ernestum, Bachium aliosque legem Vatiniam ad repetundarum leges referre non nescio, sed judiciariam eam fuisse probabilior nobis videtur sententia. Nullus enim veterum locus de repetundis tantum eam cavisse docet, imo ex Orat. in Vatin. c. XII. repetundarum legem Vatinium non tulisse, facile confici posse suspicor. Hujusmodi enim legis mentionem ibi oratorem non omissurum fuisse, quis negabit? Adde quod Scholiastae Bob. *judiciaria* audit: quod orat. pro Plancio c. XV. in causa quoque ambitus *alternorum consiliorum rejiciendorum* legem viguisse docet: quodque orat. in Vatin. c. XI. legis auctor ante Antonii accusationem legem quidem promulgasse, sed post nominis demum delationem pertulisse dicitur, idque eo consilio fecisse perhibetur, ne legis, reo propitiae, beneficio et aequitate frueretur Antonius, quem repetundarum causam non dixisse ad c. h. o. XXXVIII. docere conabimur. Quam ob rem Scholiastem

(1) Ad h. c. fragm. I. Cf. ERNEST. ad h. l.

Bob., Pighium (1), Ferratium (2) et Garatonium (3), judiciariam legem Vatinii fuisse perhibentes, sequi non dubito: Ernestum vero, Bachium et Hottomannum (4) hac in re errasse contendo. Animadvertas autem, quod neminem adhuc observasse video, legem Juliam primam certum inquisitioni comitum numerum constituisse, quod igitur a Sigonio, hujus legis capita colligenti, iis inseri debuerat.

CAPUT VII.

Nullam enim illi nostri sapientissimi et sanctissimi viri vim concionis esse voluerunt; quae scisceret plebes, aut quae populus juberet, summota concione, distributis partibus, tributim et centuriatim descriptis ordinibus, classibus, aetatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata et cognita, juberi vetarique voluerunt.

Ad hunc locum Orellius: „Estne, inquit, h. l. *distributis partibus* gloss. seqq. *descriptis ordinibus?* Quod si sincerum est, significabit, alii defendendam, alii impugnandam legem sibi sumere voluerunt;" quorum neutri tamen calculum adjicere possum, quum quod verba illa (*distributis partibus*) cum hoc loco congrua omnino

(1) Ann. XVI. a. u 694.
(2) Epist. I. 11.
(3) Ad Ferrat. epist laud.
(4) Ad Orat. in Vatin. XI.

mihi videatur, tum quod aliter ac voluit Orellius orator iis uti volet. „Fuisti, inquit, apud Laecam illa nocte, Catilina, *distribuisti partes Italiae; statuisti quo quemque proficisci placeret;*" cet. (1); et alibi: „Tum ille (Vulturcius), quum vix se ex magno timore recreasset, dixit a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur et ad urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, quum urbem omnibus ex partibus, *quemadmodum descriptum distributumque erat*, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus conjungeret." (2) Apparet, ni fallor, ex his locis *distribuere partes* significare *descriptam suam cuique partem tribuere*, *adsignare*, ita ut non ad omnes aut plures tota res turbate pertineat, sed quisque certam ejus partem, a reliquis segregatam, adscriptam sibi habere possit. Eodem modo, ut videtur, praecedenti capite orator „primum, inquit, quod *distributis partibus* (scil. Asiae) sermo est tota Asia dissipatus" (3), neque aliam iis h. l. subesse significationem, res ipsa mihi persuadet. Voluit enim Cicero probare, majores

(1) In Catil. I. 4.

(2) Ibid. III. 4.

(3) Cf. Ernest. ad h. l. Errat enim Manutius (cujus ad voc. laud. adnotationem edit. Graevio-Garat. minus recte ad c. h. q VII. refert) voc. *distributis partibus* h. l. eodem sensu usurpari dicens, quo Suetonius in Julio utatur voc. *partibus divisis*.

Romanorum voluisse, ut nulla vis esset *concionis*: ideoque singulas res ita ordinasse, ut omnia certa quadam ratione atque moderatione gererentur. Hinc *quae sciscerel plebes*, *aut quae populus juberet*, *juberi vetarique* eos noluisse dicit, nisi *re multos dies promulgata et cognita*, *auditis auctoribus*, *summota concione*, i. e. summoto *coetu populi adsistentis* (1). Summoverunt autem illum coetum, illam hominum turbam, nulla ratione congregatam, *distribuendis ejus partibus*, i. e. singulis concionis partibus suo quoqne loco, quem in campo eam occupare placeret, adscribendis, quod fiebat *tributim et centuriatim descriptis ordinibus*, *classibus*, *aetatibus*. Hisce hoc modo instructis, summota erat turbata illa concio, quae, quod omnis generis homines, uno simul loco congregatos, complecteretur, turbulentorum quorundam hominum machinationibus exagitata, maximam facillime vim, si totius multitudinis suffragium una rogaretur, exercere potuisset: neque facile quisque, suffragium, quod vellet, placido et tranquillo modo ferre impediri potuit. Patet igitur, ut videtur, verba saepius descripta h. l. explicare praecedentia *summota concione*: quemadmodum sequentia *tributim et centuriatim descriptis ordinibus*, *c.*, *a.* iterum interpretantur illa *distributis partibus*; neque igitur recte Orellius substantivo *partibus* eam h. l. tribuit significationem, quae, ubi de scenicis agitur, ei est propria. Huhlmann *Staatsrecht des*

---

(1) Cf. Gell. Noct. Att. XVIII. 7 ibique Conradus.

Alterthums pp. 342 seqq. de hoc loco: „Hier, inquit, gehören zusammen:

a) Die Worte *tributim descriptis ordinibus*, nach der Einrichtung der Versammlungen nach den Tribus, wie sie die Censoren M. Aemilius Lepidus und M. Fulvius Nobilior getroffen hatten. Liv. XL. 51.

b) Die Worte *centuriatim descriptis classibus, aetatibus*. Abtheilung in Klassen mit ihren beiden Centurien der Aeltern und Jüngern. Liv. XXIV. 7, XXVI. 22, XXVII. 6."

sed haec interpretaiio necessaria non videtur. Sive enim tributim, sive centuriatim populus congregabatur, ordines senatorum, equitum et plebeiorum semper a se invicem distinctos fuisse verisimillimum est. Nec video, quid ad hujus loci interpretationem facere possit Liv. laud. XL. 51. Ceterum quod contendit Ferratius, sermonem h. l. tantum esse de comitiis centuriatis, accipiendum non puto, praesertim propter verba *quae scisceret plebes:* quare assentior potius Manutio et Beckio, de utrisque, quum tributis, tum centuriatis locum capientibus.

CAPUT IX.

„Jam in monito huic orationi praevio dixi, continuam hic esse scripturam Codicis Vaticani: ideoque falsam esse lacunam, quam editores inter hujus orationis caput VIII. et IX. incommode obtrudunt, dum in libris aiunt: *deesse videntur nonnulla.*" Collatis vero cap. X. verbis, inde a

primum de communi genere testium usque ad finem §. 23, cum iis, quae inde ab initio c. IV. usque ad c. X. voc. *querendum est ergo et deplorandum* dicuntur, sententia viri ampl. minime placet.

Videtur nempe orator capitis X. l. l. breviter, ut solet, repetere, quae supra jam dixit; quam ob rem: „querendum est, inquit, et deplorandum, id quod jamdudum facio, de omni accusationis iniquitate: primum *de communi genere testium:*" quod fecit cc. IV. et V.; „Propius accedo. *Nego esse ista testimonia*, *quae tu ipse psephismata appellas:*" quod respicit cc. VI. — VIII.; „Intrabo etiam magis: . . . *privatae literae nullae proferuntur: publicae retentae sunt in accusatorum potestate:*" quae pertinent ad c. IX: „Summa est in testibus. *Hi vivunt cum inimicis: adsunt cum adversariis: habitant cum accusatoribus:*" quibuscum conferenda sunt, quae ipso c. X. iis, quae h. l. descripsimus, praecedunt. Quae quum ita sint, restat tantum, ut quaeramus, quonam tandem verba *qui gessit*, *non adest: qui numerasse dicitur*, *non est deductus* spectare possint. Quum autem ea, quae his verbis adumbrata censemus, eo praesertim requiruntur loco, quo vulgo editores nonnulla deesse statuunt, probabiliorem habemus sententiam eorum, si qui sint, qui a Maio discedentes et hodie lacunam istam agnoscunt. Videtur orator ea respexisse quae cc. h. o. XV. et XIX. pluribus memorantur: neque huc usque mihi persuadere potui Maii argumentum tanti esse, quanti illud

virum col. facere video. Continuam enim habemus quoque Codicis Vaticani scripturam ad cc. XVI.—XVII.; quemadmodum etiam ad cc. XXXIV.—XXXVII. et XXXVIII.—XLI., ubi tamen inter fragmenta se invicem subsequentia, capitis spil. XVI. fragm. unicum et XVII. primum, capitisque XXXIV. 3 et XXXVII. 1., XXXVIIII. 1 et XL. 1 multa in oratione intercedunt, de quibus Scholiastes nihil monuit.

CAPUT X.

Multa enim sunt ejusmodi, judices, ut, etiam si in homine ipso, de quo agitur, negligenda sint, tamen in conditione atque in exemplo pertimescenda videantur.

In quibusdam Codd. legi dicitur *in imitatione*, quod placuit Victorio, Stephano, Hervagio, Sylvio, Graevio, Verburgio, Schellero (1) aliisque; sed plerique tamen exhibent in *conditione* (2), quos sequuntur editt. prior. Mediol. utraque Veneta et Ascensii, Manutius (3), Faërnus, Ernestus, Lallemandus, Lambinus, Garatonius, Beckius et Orellius. Neque sane horum lectio re-

---

(1) Vid. Beck. ad h. l. Scheller tamen in Lexic. v. *conditio* 5). b). verba *in conditione* interpretatur *wenns bekant wird*; quod qua ratione admitti possit, non intelligo.

(2) Cf. Id. ibid.

(3) P. Manutium Victorium secutum esse Ernestus ait; sed vid. Manutii adnot. in Edit. Graevio-Garaton. ipsiusque Graevii ad hoc c. h. o. X.

jicienda videtur, quum, ut doct. jam animadvertit Ernestus (1), *imitatio et exemplum*, quemadmodum sequentia *imitationem exempli* satis docent, h. l. idem fere sint, neque igitur Cicero, his admissis, a tautologiae criminatione defendi posse videatur. Recte quoque vir cel. addidit, si genuina esset lectio *imitatio*, vocabulis translatis, scribendum potius fuisse *in exemplo atque in imitatione*, neque intelligi posse, quomodo librariis in mentem venerit, pro *imitatione*, quod unicuique, rem obiter perlustranti, planum esse debuerit, ponere *conditione*, quod difficilius fuerit intellectu. Quam vero dedit interpretationem, quam et Lallemando ut et Garatonio placuisse video, haec omnino, pace dicam virorum illorum doctissimorum, vereor, ut oratoris menti conveniat. Ita enim locum interpretatus est, ut Ciceronem sibi voluisse dixerit, multa idcirco pertimescenda videri, quod magistratuum et civium Romanorum conditio, quum scelestissimi homines, Flacci damnationis exemplo invitati, ipsis molestias hujusmodi et pericula, vel sine causa idonea, creare non vererentur, misera omnino esset futura (2). Quod si verum est, Ciceronem non minus, quam altera illa lectione accepta, ταυτολογεῖν videri suspicor. Dixisset enim multo idcirco pertimescenda videri, quum quod *conditionem* civium Romanorum deteriorem faciant eo, quod ho-

(1) Vid. in Clave v. *conditio*.

(2) Vid ejus adnot. ad l. h. o. all. (Vol. II. p. 861), et in clave v. *conditio*; add. LALLEM. ad hoc c. X.

minibus scelestissimis *exemplum edant*, quo magis ad optimum quemque accusandum alliciantur: tum etiam quod *exemplum statuant*, quo scelestissimi isti invitati facilius ad optimi cujusque accusationem descendant, ideoque civium Romanorum *conditio* miserior fiat necesse sit. — At, dicat aliquis, non ita sunt capienda; defendo Ernesti *conditionis*, quam dedisti, interpretationem, sed vocabuli *exemplo*, quam addis, recte sese non habet. Multa *in exemplo* erant pertimescenda, ne ederent exemplum ejusmodi, quo a judicibus imitato, nemo in posterum innocens salvus e judicio evadere posset. Etenim duo *pertimescenda* illa editura erant exempla; alterum hominibus sceleratis, quo fieret, ut in posterum quisque civis facilius accusaretur; quam ob rem pertimescenda dicuntur, *in conditione*; alterum judicibus futuris, quo accusati, vel nullam idoneam ob causam, facile condemnarentur; quapropter Ciceroni pertimescenda sunt *in exemplo*. — Negare mihi posse videor, hujus rei quidquam Ernesti interpretatione contineri. Possunt et aliis, ut videtur, refutatoris illius argumentationes refelli. At sibi habeat. Non enim videt, quod videre oportet, his admissis, *in conditione* idem esse atque *in exemplo* neque hac igitur ratione Ciceronem, id, quod Ernestus tantopere flagitabat, a tautologia defendi. Ne longius progrediamur, nihil dicemus amplius, quam assentiendum insuper nobis videri Schellero, duram sibi Ernesti vocabuli *conditione* interpretationem videri pronuncianti, addi certe debuisse *aliorum*. Neque igitur (di-

cam, quod sentio) Faërni et Manutii explicatio, *in conditione* interpretantium in *sorte communi*, licet Orellius v. c. optimam eam esse praedicet, quum eodem, quo superior redire videatur (1), magis nobis placet; quod de Nagelii quoque opinione, *conditionem* h. l. *possibilitatem* esse dicentis, fateri non veremur.

Mihi quidem, sicut viris istis doctissimis, Codicum, plerorumque certe lectio retinenda ideoque defendenda videtur, sed alia tamen ratione explicanda.

Animadvertendum autem puto:

Ciceronem ita loqui, quasi judicibus jam persuasisset, omnia ea, quae de accusatoribus et testibus dixit, a vero non aliena esse.

Vim quandam singularem inesse verbis *homine ipso*, quae h. l. idem fere valere videntur, ac si orator dixisset *in reo, ut homine*; quod evincere suspicor, quum ipsa verba *homine ipso*, tum etiam, quae sequuntur: *Si quem infimo loco natum —— famae.*

Isti *homine* oratorem opponere *conditione*, ita ut dicat: „Multa sunt ejusmodi, ut, etiam si *in reo, ut homine*, negligenda sint, tamen *in conditione* pertimescenda videantur."

Verbum *negligere* quandoque significare *aliquid aut aliquem non cavere, quoniam nihil ab eo times*, (quod vel h. o. c. XIX. §. 44 arguit, ubi verb. *contemnere* synonymum est nostro *neglige-*

---

(1) Cf. Beck. ad c. h. o. X.

re) atque hanc significationem verbo isti h. l. subesse.

Verbum *pertimescenda* oppositum esse alteri *negligenda*, ideoque *pertimescere* h. l. significare *metu quodam cavere, ne id, quod veremur, accidat.* Sic enim c. h. c. XIX. §. 44 τῷ *contempserant* opponitur quoque *pertimescunt.*

His praemissis, quomodo singula, quae §§. 24 et 25 continentur, quum secum invicem, tum etiam cum praecedentibus cohaereant, videamus. Oratorem autem voluisse suspicor: „Quae (*quaerendum est ergo — habitavit cum accusatoribus*) quum ita sint, non dubito, judices, quin hic mecum, non disceptationem et cognitionem veritatis, sed innocentiae labem ac ruinam fore putetis. Etenim non arbitror, levitatem istam et falsitatem testimoniorum, cupiditatem et arrogantiam testium, audaciam et calumniam accusatorem incaute vos neglecturos, ideoque Flaccum, propterea tantum, quod testes peccasse eum dixerunt, damnaturos esse: siquidem omnia ista, etiam si rei gratia sollicitare vos non oporterent, tamen in conditione atque in exemplo metu quodam cavenda (pertimescenda) viderentur. Si quem infimo loco natum, nullo splendore vitae, nulla commendatione famae defenderem, reum tamen, his rebus, communis humanitatis jure ac misericordia deprecarer: non, quod hominem servare vellem, sed quum ne ignotis testibus, ne incitatis cet., civem ac supplicem vestrum dederetis; tum etiam ne periculosam imitationem exempli reliquis in posterum proderetis. Nunc autem, quum res agatur L.

Flacci, hominis summo loco nati, viri splendidissimi, optime de re publica meriti, in quem, etiam si quid errasset, omnes boni connivendum esse arbitrarentur, qui vel maxime igitur meretur, ut ejus quoque causa de accusationis iniquitate sollicitati sitis: nunc, inquam, non vereor, ne reum, quoniam quidem testes dicunt, idcirco tantum condemnandum esse arbitremini, neque hunc ergo hominem deprecandum a vobis censeo. Nec tamen postulo, judices, ut in eo conniveatis, sed contra, vos oro et obtestor," cet. Ex hac argumentatione manifesto, ni fallor, apparet, verba *Multa enim — pertimescenda videantur* cum iis, quae proxime sequuntur, arctissimo vinculo cohaerere, et *ne ignotis testibus — civem ac supplicem vestrum dederetis* respondere τῷ *in conditione*, quemadmodum *ne periculosam — proderetis*, uti Ernestus jam animadvertit, *respondent* τῷ *in exemplo*. *In conditione* igitur interpretor *propter conditionem*, *quae*, *eo*, *de quo agitur*, *reo postulato*, *in discrimen vocatur*, intelligoque, sententiâ, quae continetur verbis *Multa — videantur*, ad causam singularem, quam amplectuntur verba *si quem — proderetis*, restrictâ, *dignitatem civis Romani* (1). Etenim si orator hominem defendisset istiusmodi, ut accusationis iniquitas, rei causa, judices sollicitare nequisset, ideoque incaute ab iis neglecta fuisset, hi profecto, quoniam quidem testes dixerint,

(1) Verba *quae in discrimen vocatur* in ipsa orat. supplere fortasse possunt praec. *de quo agitur*.

hominem damnaturi fuissent. Haec vero damnatio periculosa, imo perniciosissima fuisset, idcirco primum, quod, si hic ab iis condemnaretur, civem Romanum, qui totam suam salutem judicibus commiserit (supplicem), testibus ignotis, concitatis, corruptis dederent, ideoque aut hos pertimescere, aut illum, i. e. civium Romanorum dignitatem et pondus, nihili facere viderentur; deinde vero propterea quoque, quod hoc damnato perniciosissimum edidissent exemplum quum iis, qui accusare vellent, quo citius ad civem quemque accusandum descenderent, tum etiam judicibus futuris, quo facilius reos omnes, vel nullam idoneam ob causam condemnarent; tum denique iis, quibus integrum esset, qui nondum ad honores accesserint (1). Haec autem ne acciderent admodum metuendum fuisse, res ipsa declarat: quapropter, si hominem istiusmodi defendisset, oratoris fuisset, civis Romani, reum a judicibus communis humanitatis jure ac misericordia deprecari; judicum, civium Romanorum, ea, quae ex damnatione oriri possent, metu quodam ne acciderent diligentisse cavere, i. e. reum absolvere.

Omnino autem cum h. l. conferri oportere suspicor orat. pro Fonteio cc. XI. et XII.

---

(1) Vid. c. h. o. XLII.

CAPUT XI.

Ne ignotis testibus, ne incitatis cet.

Ad hanc pro Flacco orationem, quod ad testes, in primis pertinere videntur orat. pro Fonteio cc. VI.—X., in Verr. III. 71, pro Rosc. Amerino c. XXXVI. (1), l. 2, l. 3 pr. §. 1, 2 et 5, ll. 6, 13, 15, 18, 21 §. 3 et l. 24 D., ll. 4 et 17 Cod. *de Testibus* et Nov. XC. I. §. 1. (2) Animadvertendum autem est h. l. errare Sigonium de Judic. II. 16 scribentem: „aliae leges post causam actam testes dari voluerunt, ut lege Cornelia de repetundis in Verrem Cicero." Minime enim hujusmodi quid lege Cornelia sancitum fuisse ipsa orat. in Verr. luculenter docet: imo vero orator noster in ipso Verris judicio ita se versatum esse demonstrat, ut tes-

(1) Citat hunc locum, quo legitur: „neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit," Sylvius ad c. h. o. X. verba *Ex accusat. subs. surg.* Rectius sane quam ad verba seqq. *una ex domo prod.* l. 24 D. *de Testibus*, quae tantum spectat domesticos, qui dicuntur. Cf. Westenb. D. XXII. 5 §. 6, n°. 15.

(2) De testibus olim Domitius Afer libros conscripsit duos (vid. Quinctilianus V. 7, VI. 3, X. 1.) et Arcadius librum singularem (vid. ll. 1, 21 et 25 D. h. t.) qui tamen perierunt. Reperiuntur autem et hodie quaedam ad testes pertinentia Topic. XIX. et XX., Orat. Part. II. et XIV., de Orat. II. 40, ad Herenn. II. 6 et IV. 35, Quinctil. V. 7 et Valer. Max. VIII. 5.

tium interrogationes accusationi immiscuerit (1). Rectius omnino Sylvius ad hujus Orat. pro Flacco c. X, „Testes, inquit, non semper loco tertio interrogari solitos accepimus. Modo enim ante actionem causae, modo in ipsa actione, saepius post causae actionem. Auctore Asconio Paediano in causa Milonis testes citati sunt secundum legem, quae jubebat, ut, priusquam causa ageretur, per triduum testes audirentur." Prioris enim generis testis est Asconius Paed. in Milon. argum. (ed. Orell. p. 40), alterius vero Cicero in Verr. l. c., posterioris denique idem hic orat. hujus pro Flacco c. X., cui add. Quinctil. V, 7.

CAPUT XIV.

Non refert vero.

De rationibus ad aerarium referendis repetun-

---

(1) Act. I. 18. „Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim; illud a me novum, judices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem; ut nihil inter *illam usitatam* accusationem atque *hanc novam* intersit, nisi quod *in illa tunc, quum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res* dabuntur," et Lib. I. 11. „Etenim, sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem, *ut, quum rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogarem.*"

darum legibus cautum fuisse non videtur: imo lex Iulia *de provinciis ordinandis* (1) prima fortasse fuit, quae hujus rei rationem habuit. De Verris sane praetura orator noster (2) „praeturae, inquit, quum *ex senatus consulto* statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit." Videtur igitur ante legem istam senatus consultis, quae antequam magistratus in provinciam abirent fieri solebant, de rationibus referendis cautum fuisse. Quum autem in eum, qui rationes aut omnino nullas, aut non accurate retulisset, repetundarum leges poenam non sanciverint, Cicero accusatoribus respondet, Flacco minime objiciendum esse, eum in praetura referenda pecuniae, classis nomine imperatae, mentionem non fecisse, praesertim quum et imperasse se confessus sit, et imperare sibi licuisse probaverit. Etenim nihil eum rationibus non referendis lucrari, neque igitur quod eas non retulerit, idcirco eum repetundarum legibus teneri.

CAPUT XVII.

Atque huic eidem nuper tres equites Romani honesti et graves, quum in causa liberali eum, qui asserebatur, cognatum suum esse diceret, non crediderunt.

---

(1) Cf. Bach. l. c. II. 2. Sect. 2 §. LXXXIII. (ed. 5 p. 179).

(2) In Verr. Lib. I. 39.

Recte, ut videtur, Manutius conjecit, equites illos, quorum h. l. orator mentionem facit, fuisse recuperatores. Acta enim fuit *causa liberalis*, i. e. quaesitum fuit de homine quodam, utrum liber esset an servus, in qua quum ante Justinianum cognati, patroni, aliique, adsertorum nomine, pro eo, qui vindicaretur, agere soliti fuerint (1), non omnino absurdi quid proponere videris, si hunc ipsum Dorylensem hac in re adsertorem fuisse existimes (2). Quod si verum est, reum in libertatem vindicaverat eumque liberum esse eo probare conatus erat, quod cognationis vinculo sibi conjunctum esse dixerat; cui quum fidem recuperatores non habuissent, eum, qui adserebatur, servum esse judicaverant. Sin vero Dorylensem istum testis tantum partes hac in causa egisse malis, non repugno.

totoque Mithridatico crimine.

Sic omnes, quos vidit Lambinus, codices veteres; sed maximam tamen codicum partem omittere voc. *crimine* Garatonius aliique docent. Tuetur vero Faerni, Lambini, Ernesti, Schuetzii et Orellii lectionem

---

(1) Vid. quos laudant Cl. Westenberg Dig. XL. 12. §§. 1—3 et 5 et Ed. Schrader ad Instit. Justin. IV. 10, ll. 1—6 *D. de liberali causa*, l. 21 §. 24. D. *de O. J.*, l. 1, C. *de adsert. toll.*, pr. Instit. *de iis, per quos agere poss.*, Donat. ad Terent. *Adelph* II. 1, 40 et Liv. III. 45.

(2) Cf. l. 1 §. 2 et l. 2 D. *de liberali caus.*

Scholiastes Bob., qui recte, ut videtur, „id autem, inquit, crimen significat (orator), quod Mithridates ille Pergamenus intenderat." Sic enim c. XXXVI. §. 90. *Falcidianum* dicitur *crimen*; quam ob rem neque editionibus Venetae, Juntinae, Cratandrinae, neque, qui cum hisce faciunt, Stephano, Grutero, Graevio et Garatonio hac in re assentiendum esse suspicor.

CAPUT XIX.

Dicunt se Flacco et iis, qui simul essent — nisi mihi totam rationem omni et personarum genere et literarum explicaris.

Recte, arbitror, vulgatam lectionem *conficientissima literarum*, pro qua plurimi iique optimi Cod. pugnant, sed quam Turnebus, Lambinus et Ernestus recipiendam non putarunt (1), tuetur Orellius; neque assentiendum Ernesto, per veram latinitatem, dicenti, *conficiens literarum* significare non posse *qui conficit literas*, sed *qui habet vim conficiendi*. Videtur contra nobis, per veram latinitatem communemque vim hujus generis participiorum, significationem, quam vir cel. improbat, huic participio (*conficiens*) tribuendam omnino esse, neque verb. *conficientia* de Finn. V. 27, quo, a Graevio in contrariam partem allato, suam Ernestus probare conatur sententiam, huic opinioni repugnare videtur. Loquitur enim ibi Cicero de amicis, liberis, propinquis, divi-

(1) Vid. GARATON. ad h. l.

tiis, honoribus, opibus, *corporis bona conficientibus*, i. e. non tantum *quae vim habent conficiendi*, sed quae, ubi adsint, corporis bona re vera conficere solent. Sic v. c. de Off. I. 41 idem de hominibus loquitur *bene de re publica meritis aut merentibus*, quorum illi, ut luculenter apparet, ii sunt, qui bene jam de re publica meruerunt, hi vero qui adhuc bene merentur, sive, ubi opus est, bene mereri solent, non vero *qui vim habent merendi* (1). Sic ibid. III. 33 „virtutem ob eam rem esse laudandam, quod *efficiens esset voluptatis*," et c. h. o. III. *amantissimum rei p. civem* dicta videntur; atque sic etiam sexcenties alibi hujusmodi participiis veteres utuntur. Probant hanc quoque significationem locus a Graevio ex orat. pro Coelio ad h. l. allatus „*Q. Pompeio, castissimo viro, atque omnis officii diligentissimo*", et, vel maxime, quem laudat Garatonius (II. ad Herenn. 19), „*inimicitiarum persequentissimus*"; ubi *diligentissimus* certo et *persequentissimus* non dicuntur, qui vim habent diligendi aut persequendi, sed qui diligere aut persequi solent, qui diligendo et persequendo quam maxime occupati sunt.

Quod autem vir cel. ait, totum, quidquid legatur, sive *conficientissima literarum*, sive *liter. confic. diligentissima*, sibi, quum non sit, cur illa conficiendarum literarum diligentia hic commemoraretur, quoniam nihil in sequentibus reperiatur, quod ad eam proprie referri

(1) Cf. Scheller in voce.

queat nec insit in *acerrima*, videri glossema, ad haec respondere posse credo, primum non ita adjectivo *acerrimae* diligentiae significationem contineri, ut cum alio vocabulo, hanc exprimenti, conjungi nequeat, quod vel ipse locus ab eo laudatus, *si acres ac diligentes esse volumus* (1), satis probare videtur. *Conficientissima* igitur h. l. non aliter ad verbum *acerrima* oratorem addidisse suspicor, quam l. cit. partic. *diligens* ad *acres*. Nihil enim aliud significat quam *quae saepe conficere solet, quae diligens est in conficiendo*. Deinde vero, quod nihil in sequentibus adsit, quod ad hanc diligentiam proprie referatur nec ad voc. *acerrima* referri possit, hoc non impedire, quo-minus Tullius civitatem dixerit *et acerrimam et litterarum conficientissimam*. Sic enim e. g. capite h. o. V. dictum quoque videtur *vehementem accusatorem nacti sumus et inimicum in omni genere odiosum ac molestum*, quum et ibi nihil in seqq. adesse videatur, quod non recte aut ad vehementiam referre queat, aut ad inimicitiam. Videtur Cicero voluisse, *cum civitate mihi res est, quum in omnibus rebus acerrima, tum in hoc praesertim genere, de quo nunc agitur, diligentissima*, utque hoc confirmaret, statim adjecisse *in qua nummus commoveri nullus potest*, cet.

Verba *pecuniam se perscripsisse dicunt* Scheller in Lexic. v. *perscribo* ad numerum refert 7;

(1) De Off. I. 4.

sed rectius vir doct. exemplum hinc petitum retulisset ad num. 1., ubi eam verbo *perscribere* adsignat significationem, quae eidem h. l. subest.

Ad verba *occulte referenda* Manutius „in decretum, inquit, cui scribendo primus adfuerat Lysanias; illi autem occulte illud de drachmarum quindecim millibus retulerant; tantum enim scripserant, praetorem unum de quinque pecuniam illam Flacco dedisse, quod simile criminis videri non potest, cum in Temno, acerrima et conficientissima liberarum civitate, nummus moveri non possit, sine quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis. De pecunia vero, eidem Flacco in aedem sacram reficiendam data, occulte in decretum non retulerunt, sed aperte: nam scripserunt datam a cunctis praetoribus, quaestoribus, mensariis;" quam interpretationem veram esse non credo. Primum enim Ciceronem noluisse, omnia occulte relata esse *in decretum*, sed *in accepti et expensi tabulas publicas* luculenter docere videntur quum sequentia: *quum perscribunt — pertimescunt*, tum ipsa vox *occulte* (1); deinde vero Temnitos *occulte* non retulisse *drachmarum illa XV millia*, sed contra *majorem illam pecuniae summam, quam in aedem sacram reficiendam se perscripsisse dixissent*, e toto, de quo hic agimus, loco apparere suspicor. Neque igitur verisimiliorem sequentem viri doct. adnotationem habeo, ubi ad verba *nihil timent* „quia, inquit, datam ei ab uno tantum praetore illam pecuniam audacter perscribunt, odio scilicet ac malevolentia com-

(1) Cf. SCHELLER v. *refero* III. 4. not.

pulsi;" quin et ejus verborum *eundem pertimescunt* interpretationem, quum dicat, Temnitos majorem illam pecuniam *a cunctis praetoribus*, *quaestoribus*, *mensariis* Flacco datam scripsisse, *quasi timerent*, *ne ab illo refellerentur*, *ne sibi datam negaret*, a vero discedere arbitramur. Etenim totum locum sic intelligo. Dedisse se dixerant Temnii duas pecuniae summas, alteram drachmarum XV millium, alteram hac majorem, quarum illam in tabulas nominatim Flacco, hanc vero operi publico retulissent. Harum autem relationum haec, quum cuinam pecunia data fuerit non doceret, *occulta* non injuria habebatur: illam vero, quum disertis verbis Flacco pecuniam datam fuisse testificaretur, *apertam* dixit orator. Quae quum ex ejus sententia minime inter se convenissent, quoniam aut omnia occulte referenda fuissent, aut aperte omnia, fidem se hisce relationibus habere posse negavit. Nullam enim, cur hoc modo egissent, idoneam docuit Temniis adfuisse causam: imo vero, si quid occulte referendum fuisset, drachmarum potius illa XV millia, nullo jure, nulla certe sive verae, sive fictae necessitudinis mentione facta, ut eorum tabulae prae se ferre videbantur, a Flacco petita et accepta, quam majorem illam pecuniam, in aedem sacram reficiendam praetori datam, sic perscribendam fuisse monuit. Etenim quod Flaccum pertinuissent, idcirco fortasse occulte aliquid retulissent. Atqui Flaccum se non timuisse eo docuerunt, quod priorem illam pecuniam nominatim Flacco perscribere veriti non fuerant, neque fieri potuit,

ut, quem non metuissent, quum nominatim ei, nulla exactionis addita causa, aliquid retulissent, eumdem pertimuerint in alia quadam pecunia ita ei perscribenda, ut ipsae civitatis tabulae aedis sacrae reficiendae gratia datam esse testificarentur. Utrum enim horum aegre potissimum Flacco ferendum fuisset, res ipsa docet; neque sane qui illud non impugnasset, idem hoc non tulisset.

Sed praeterea ratio non constabat. Decretum enim testimoniis corroboratum non fuit. *Temnii nummus commoveri nullus potuit sine quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis. Ex hoc tanto numero deductus erat nemo.* Scriptum tantum in decreto fuit, *praetorem quendam dedisse*, quod ad Flaccum accusandum minime sufficiebat. Etenim *si praetor dedit, a quaestore numeravit, quaestor a mensa publica, mensa aut ex vectigali, aut ex tributo.* Itaque non tantum praetoris, sed et quaestoris et mensarii rationes deducendae fuissent; quin et hae nomina omnium, quum eorum, qui dedissent, tum etiam eorum, qui accepissent, disertim commemorare deberent.

Satis, opinor, ex hisce apparet, quid nostra interpretatio a Manutio differat. Ut autem hac in re a viro doct. dissentiar, mihi suadent quum ea, quae supra jam allegavi, tum primum, quod nusquam docetur majorem illam pecuniam, in aedem sacram reficiendam perscriptam, datam fuisse *a cunctis praetoribus, quaestoribus, mensariis*; imo vero Ciceronis verba *Numquam erit — explicaris* huic opinioni omnino repugnare viden-

tur. Deinde vero quod illa drachmarum quindecim millia, quod ab uno tantum praetore data fuisse Temnitae scripsissent, idcirco *occulte relata* dici non potuissent. Sive enim cum Manutio intelligas *in decretum*, sive nobiscum *in aerarii tabulas*, semper tamen, quum disertis verbis *Flacco data fuisse* significarentur, aperte relata fuisse concedas necesse est. Quod ab uno tantum praetore numerata et in tabulas publicas relata fuerint, hoc, si, quod valde dubito, quinque semper praetores aerarii administratio postulaverit, *negligenter factum*, quod unum tantum praetorem ea dedisse scriptum esset, hoc *minus accurate scriptum*, neutrum tamen *occulte relatum* dici potuisset. *Occulte relata* ea, opinor, dicuntur, quae ita erant perscripta, ut Flacco, aerarii rationes inspicienti, ad se pertinere non viderentur. Postremo quod Temnitas Flaccum pertimescere non potuisse arbitror, ne ab eo fraudarentur, i. e. *ne ab illo refellerentur*, *ne pecuniam sibi datam negaret*, sed ne vim sibi afferret, ne ab eo cogerentur, ut relationes, quas vellet, delerent.

CAPUT XX.

Hic*, *hercule*, *cornici oculum*, *ut dicitur.

Scil. *confixit* (1). Non satis de hujus prover-

---

(1) Vid. pro Murena XI., Quinctil. Instit. VIII. 5, Macrob. Saturn. VII. 5.

bii origine viri docti conveniunt, quamquam in hoc fere consentire videntur, ut illud de omnium hominum callidissimis usurpari dicant (1). Nunc autem Scholiis Bob. ad h. l. repertis, quae originem ejus repetendam esse docent ab indole et more cornicis, omnia bene procedere videntur, neque tantum hunc locum et pro Murena c. XI., sed et Macrobii Saturn. VII. 5, Divi Hieronymi locum, ab Erasmo Adag. p. 1291 cit., et Propertii IV. 5. 16 optime intelligi suspicor. Ceterum refert Quinctilianus l. c. hoc proverbium inter *jocos idiotis gratos*, quo loco quum eodem ordine recenseatur cum Ciceronis hisce: *Pusio, qui cum majore sorore cubitabat* (2), *Heus ubi Roscio* (3), aliisque, humilius apparet habitum fuisse dictum.

Quum judicatum non faceret, addictus Hermippo et ab hoc ductus est.

In vincula scil. Sic enim cautum lege XII. Tabb. (4). Judicato autem harum Tabularum jure dies erant XXX., quibus creditori satisfaceret, quod si non fecisset, iterum in jus vocabatur et

---

(1) Cf Interp. ad h. l. et ad Orat. pro Murena XI., ad Propert. IV. 5. 16 et ad Quinctil. l. l., ERASMUS *Adag.* p. 1291, alii.

(2) Pro Caelio XV.

(3) Sive *Heus tu Rufio*, pro Milone XXII.

(4) Cf Cl. ZIMMERN. *Geschichte des Röm. Privatrechts* Tom. III. §. 46.

actione judicati creditor contra eum agebat. Experiebatur hic *per manus injectionem*, quae qualis fuerit, vid. apud Gaium IV. 21, neque reo pro se agere licebat, sed vindex dandus erat, qui pro se causam ageret. *Qui vindicem non dabat*, (addicebatur), *domum ducebatur ab actore et vinciebatur* (1). Itaque Heraclides hujusmodi vindicem non dedit ideoque Hermippo addictus et ab hoc in vincula ductus est. Addictus autem liberam rerum suarum habebat administrationem (2) eique dies iterum dabantur LX., quibus trinis nundinis continuis ad praetorem produceretur, quantaeque pecuniae judicatus esset, palam praedicaretur: quo facto, nisi interea vindicem quendam sibi quaesiverit, capite deminuebatur. Habuit tamen interea jus paciscendi, ita ut pacto cum creditore inito liberare se posset: quo jure, uti ex sequenti hujus orat. capite apparet, Heraclides in hac causa usus est. Ceterum hoc debitoris ducendi jus, quod non tantum apud Romanos, sed apud Graecos quoque in usu fuit, unde repetendum est, quod Romani olim, aeque ac Graeci (3), aeris alieni causa, corpora sua quandoque oppignerare solebant, quod qui faciebant Romanis *nexi* dicebantur (4).

---

(1) Gaii l. c.; cf. Cl. ZIMMERN l. c. §. 45.

(2) Cf. ZIMMERN l. proxime cit. not. 24. Add. c. h. o. XXI. „Quum ei pauca mancipia vendidisset."

(3) Cf. Plutarch. *Solon*. cc. XIII. et XV. (pp. 85 et 86.).

(4) Cf. Cl. ZIMMERN l. c.

CAPUT XXI.

... *deinde in Asiam rediit, quum jam frater meus Flacco successisset, ad quem adiit, causamque ita detulit: recuperatores, vi Flacci coactos et metu, falsum invitos judicavisse. Frater meus, pro sua aequitate prudentiaque, decrevit, ut, si judicatum negaret, in duplum iret: si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores.*

Quum orator, quae Hermippum inter et Heraclidem gesta fuerint, quippe omnibus, ad quos orabat, iis, quae dixit, admodum perspicua, disertis verbis singulatim non commemoret, non alienum videtur, singula, quae, ut hodie tota causa recte intelligatur, necessario mente teneri oportet, summatim h. l. exponere. Postquam Hermippus ab Heraclide, quod pro eo Fufiis dependisset, extra judicium petiverat, sed hic aestuans et tergiversans petitioni isti minime obtemperaverat, judicio illum (*actione mandati*) persecutus est, causa a recuperatoribus cognita, qui, quum de re manifesta dubitari minime posset, prima actione Heraclidem condemnarunt. Judicato, uti diximus, dies erant 30 (1), quibus solveret, quod quum non fecisset, *judicati* demum *actione* Hermippus eum in judici-

(1) Postea vero menses duo, postremo quatuor; vid. Westenb. D. XLII. 1. §. 39.

um vocavit reique cognitionem praetor iterum recuperatoribus dedit. Neque tunc quidem absolutus est, sed jussus Hermippo (fortasse statim, tempore certe statuto (1)) debitum solvere; quod quum nollet, addictus ei et in vincula ductus est.

Postea vero, quum Hermippo pauca mancipia vendidisset, missus, Quintum adiit Ciceronem, qui Flacco praetori successerat, petivitque ut de *causa judicati*, qua Hermippo addictus fuerat, denuo cognosceretur. Etenim Romani juris doctrinam *sententias, expressim contra juris rigorem datas, nullius esse momenti*, ea religione custodierunt, ut causa, de quibus latae fuerint, *sine appellatione* denuo induci posse statuerent (2). Quod quum ita sese haberet, Heraclides, uti diximus, a Quinto praetore petivit ut de *causa judicati*, quam secum Hermippus egisset, recuperatores denuo cognoscerent, sed causam ita detulit, ut ejus delatio duplicem haberet interpretationem (3). Quum enim dixisset *recuperatores*

---

(1) Cf l. 31 D. *de re judic.*

(2) Ll. 19 et 23 §. 1 D. *de appell. et relat.*, Tit. D. *quae sentent. sine appell. rescind.*, Tit. C. *quando provoc. non est nec.*; cf. l. 32. D. *de re judic.* et WESTENB. Dig. XLIX. 8, qui tamen in eo errare videtur, quod l. 1 pr. D. tit. cit. *quae sent.* et l. 1 C. tit. laud. idem doceri arbitratur.

(3) Hoc ipsa Ciceronis verba innuere, eo probare mihi posse videor, quod disertis verbis orator h. l. commemorat, quid Heraclides ad Quintum Ciceronem detulerit, iisque praemisit: *ita detulit.*

FALSUM *judicasse*, hoc agere videbatur ut *judicatum negaret.* In *causa* enim *judicati*, quae acta fuerat, quaesitum erat, utrum Heraclides, (*priori mandati judicio*) Hermippo (*mandati nomine*) debere judicatus fuerit; quod, quum eum damnassent, recuperatores omnino affirmaverant. Itaque quum Heraclides recuperatores *in causa judicati* FALSUM judicasse contendisset, negare videbatur, se *priori mandati judicio* condemnatum fuisse, i. e. videbatur *negare judicatum*, *mandati* scil. *judicio latum.* Quum vero perhibuisset, VI *Flacci* COACTOS ET METU *invitos judicavisse*, sententiam quidem, *judicati judicio* contra se latam, falsi continuo non arguit, sed, quod ab iis fuisset profecta, qui judices dici non potuissent, idcirco tantum petivit, ut causam, quam deciderat, iterum agere liceret. Utrumque sane eo redibat, ut Heraclidi praetorem gratificaturum significaret, qui causam judicati rursus induci sineret; sed hoc tamen iis intercedebat discrimen, quod reus priori, propterea quod judicatum negasset, *in duplum* iret, i. e. si pareret, injuria eum negasse, duplum ejus, quod intenderetur, solveret: posteriori vero actio *in simplum* daretur. Propterea igitur Quintus praetor, res diversas, pro sua prudentia, probe distinguens, nec minus aequitatis propugnator, acute decrevit, *ut si judicatum* (mandati judicio latum) *negaret, in duplum iret: si metu coactos diceret, eosdem haberet recuperatores.* Neque negamus Heraclidem ita deferre potuisse: sed absurdum JCtis videri debuit, quum, quod vellet, uno al-

terove deferendo consequi posset, utrumque ab eo delatum fuisse. Minime enim hujusmodi quid prudentiae et accurationi conveniebat eorum, qui rebus forensibus operam dare solebant. Hanc autem tanti poenam, quanti res esset, quae ageretur, quibusdam in causis, in quibus *judicati*, inficianti et postea irrogatam fuisse, docent Gaii IV. §§. 9 et 171 et Paulus Sent. Recept. I 19 §. 1 (1).

Reliqua intellectu omnino videntur faciliora. Postquam Heraclides decretum Quinti praetoris recusaverat, M. adiit Gratidium, hujus legatum, a quo, quasi nihil esset actum, nihil judicatum, petivit, ut sibi, mancipia sua, in possessione quae essent Hermippi, recuperandi gratia, daret actionem. Hermippus vero vicarium illum praetoris certiorem fecit eique probavit, Heraclidem, ut judicatum faceret, mancipia ista sibi vendidisse eorumque pretium compensatione solutum esse; quod quum adversarius negare non posset, Gratidius actionem se daturum negavit: re judicata, i. e. sententia judicati judicio lata, stari ostendit placere.

In duplum iret.

Minus recte, ut videtur, Scholia Bobiensia haec interpretantur *dupli sponsionem faceret*. Ex causa enim judicati sponsionem facere non licuisse, doceri omnino arbitror Gaii IV. §§. 171 et 72 (2).

---

(1) Cf. Instit. Iust. Tit. *de oblig., quae quasi ex cont.* §. ult., *de action.* §. 26. et *de poena temere litig.* § 1.
(2) Cf. §§. 91—95.

Graecos praeterea homines in causis privatis *spondere* non potuisse, nemo profecto negabit, qui ejusdem auctoris III. §§. 93 et 94 legerit. Sin vero est, qui dicat, *sponsionem* scholiastae audire *satisdationem*, hic velim in memoriam revocet, eum, unde judicati judicio peteretur, simpliciter tantum *judicatum solvi* satisdare coactum fuisse, neque actionem *ab initio dupli fuisse*, *sed litem inficiando crevisse* (1).

CAPUT XXIV.

An id, quod Pergami?

Nihil h. l. mutandum esse suspicor. Refero enim haec verba ad c. h. o. VIII. §. 17, unde, ut videtur, apparet, Ernestum, quid his verbis orator sibi voluerit, non intellexisse.

CAPUT XXV.

At enim istam pecuniam huic capere non licuit. — Utrum vultis patri Flacco licuisse, nec ne? Si licuit, sicuti certe licuit, ad ejus honores collatam, ex quibus ipse nihil capiebat, patris pecuniam recte abstulit filius; si non licuit, tamen illo mortuo, non modo filius, sed quivis heres rectissime potuit auferre.

Digna est haec argumentatio, quam intentis oculis contempleris, quum manifesto demonstret

---

(1) Vid. Gaii IV. 9, Pauli et Instit. II. proxime II.

quam callide orator noster reorum crimina defendere soleret. Cautum fuit legibus repetundarum primum ut his teneretur, *qui in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere ministerioque publico, aut civi Romano, aut alicui sociorum, vel Latinorum, vel nationis cujusvis exterae, quae in arbitratu, ditione, potestate, amicitiave populi Romani esset, pecuniam quocunque modo abstulisset, aut ab eo cepisset, sive ipse fecerit, sive is, qui in potestate vel manu vel mancipio ejus, cuive ipse, aut parens, aut filius ejus heres esset:* quod, sive secundum ipsa legis verba, sive ex mente ejus, ita accipiebatur, ut non teneri haberetur qui a civitatibus pecuniam accepisset ad honores suos collatam, e quibus ipse nihil caperet; deinde vero ut, si, reo damnato litibusque ei aestimatis, non invenirentur omnia, quae in petitione accusatoris essent, ab eo, quo pecunia ista pervenisset, reliqua petere liceret (1). Orator autem Flaccum h. l. ita defendit, ut contendat, patrem ejus repetundarum accusari non potuisse, quoniam hic e pecunia ad honores ejus collata nihil ipse cepisset, neque igitur ad hunc illius criminis leges spectassent: Flaccum autem ipsum iisdem legibus non teneri, siquidem non hic, sed pater ejus pecuniam istam a civitatibus accepisset, neque etiam judicium *quo pecunia pervenerit* in eum verti posse, quum pater ejus repetun-

(1) Vid Cl. KLENZE *Fragm. leg. Serviliae* Cap. I., SIGON. *de judic.* II 27.

darum reus non fuerit: imo, etiam si huic pecuniam istam capere non licuisset, illum tamen ejus nomine in judicium vocari non potuisse, quoniam pater ejus damnatus non fuerit,

Nominis prope Romani memoriam cum vestigio imperii non modo ex sedibus Graecorum, verum etiam ex literis esse deletam.

Garatonius, Stephani codicem, sive conjecturam, secutus, acute defendit lectionem hanc *ex sedibus*, probantibus viris Cl. Huldrico et, ut videtur, Orellio: cui nobis tamen altera *ex aedibus* praeferenda videtur. Minime sane contendo, lectionem illam *ex sedibus* ferri h. l. non posse, sed quum omnes codices MSS., unico tantum Henr. Stephani excepto (cui tamen, cel. viri nomine deceptum, Garatonium nimium quantum tribuisse monuit Orellius (1)), editionesque Orellianae praeviae omnes alteram illam disertim exhibeant, hanc omnino, nisi absurda dici possit, defendi oportere suspicor. Quod ut facerem, hariolatus sum oratorem ea h. l. spectasse, quae Ephesi facta fuisse tradit Appianus *de bell. Mith.* XXI., ubi „'Εφεσίων, inquit, δὲ καὶ 'Ρωμαίων εἰκόνας τὰς παρὰ σφίσι-καθαιρούντων." Hujusmodi autem statuas eorum potissimum fuisse *qui imperi-*

(1) Monit. orat. pro Flacco praev.

um in provincia exercuissent, disertim docent Orat. in Verr. II. 21 et 57—69 et IV. 62, quibus simul docemur in locis civitatum non modo publicis, sed etiam in *aedibus* eas poni, Siciliae certe provinciae, moris fuisse. Quod si verum est, orator queri profecto potuit, *nominis Romani memoriam cum vestigio imperii ex aedibus* esse deletam, praesertim quum ceteroquin apud omnes Graecos hic esset mos, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujusmodi, nonnulla religione deorum consecrari arbitrarentur, idque ita, ut monumenta hostium in bello ipso defendere solerent (1). At, dicat aliquis, Appianus in unica tantum Ephesiorum civitate ejusmodi quid perpetratum fuisse narrat, cui tamen, si *ex aedibus* esset legendum, Ciceronis verba repugnare viderentur. At, inquam, Appianus unius tantum Q. Oppii, praetoris Romani, Mithridati dediti, uniusque M'. Aquilii, legati, in vincula conjecti, mentionem fecit; dum tamen Cicero questus sit, *praetores nostros deditos*, *legatos in vincula conjectos*. Accedit, quod omnia ista, quae Cicero, si recte *aedibus* legendum esse conjecerim, hoc uno eodemque loco commemoravit, uno fere eodemque tempore facta fuisse Appianus tradit: quodque eodem ab oratore disposita sunt ordine, quo sibi invicem re vera successisse ex historico nostro efficitur.

---

(1) In Verr. II. 65 et 66.

CAPUT XXVI.

Massilia.

De hujus urbis origine, nominis etymologia, moribus, disciplina et insigni ergo Romanos fide vid. Scaliger Animadvers. in Eusebii Chron. a. MCCCCXVII. pp. 80 seqq., Voss. ad Justin. XLIII. 3, Schweighaeuser ad Herod. I. 166 et, quem laudat, Larcher ibid. Tom. I. pp. 448 seqq. et *Essai de Chronol.* c. XIV. sect. 2 §. IV. (T. VI. pp. 467 seqq.), Justin. XLIII. 3 seqq., Valer. Max. II. 6, Strabo IV. (ed. Oxon. pp. 245 seqq.), Aristotel. Politic. V. 6 et VI. 7, Cicero pro Font. I., Philipp. II. 37, VIII. 6, de Off. II. 8.

Quae L. Flaccum militem quaestoremque cognosti.

Militem i. e. *tribunum militum* (1), C. Flacco Galliae Narbonensis imperatore: *Quaestorem* M. Pisoni in Hispania; cf. adnot. nost. ad c. I. Gallis enim equitatus, pecuniae, frumentum, ad Hispaniense bellum tolerandum, imperari ipsique Hispaniae exercitus in Gallia quandoque commorari solebant.

---

(1) Vid. Ernest. ad h. l., qui „Equestris, inquit, militia ante quaesturam nulla alia est, nisi tribunatus aut praefectura:" quam sententiam confirmare videmus Philipp. I. 8.

CAPUT XXVII.

Quamquam quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Graecorum genera sint vere? quorum uni sunt Athenienses, quae gens Jonum habebatur: Aeoles alteri: Dores tertii nominabantur.

Cicero „quorum, inquit, uni sunt Athenienses, quae gens Jonum habebatur," dum vulgo dixerint, *quorum uni sunt Jones.* Sed videtur orator morem gerere voluisse Atheniensibus, qui nomen Jonum adspernabantur. Sic enim Herodotus I. 143. οἱ μὲν νῦν ἄλλοι Ἴωνες καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔφυγον τὸ οὔνομα, οὐ βουλόμενοι Ἴωνες κεκλῆσθαι ἀλλὰ καὶ νῦν φαίνονταί μοι οἱ πολλοὶ αὐτῶν ἐπαισχύνεσθαι τῷ οὐνόματι. αἱ δὲ δυώδεκα πόλιες αὗται τῷ τε οὐνόματι ἠγάλλοντο. Itaque gentem Atticam unum illud genus proprie effecisse Graecorum, cui nomen vulgo Ionum adscribebatur, significare maluit; quod dum fecit, hoc simul consecutus est, ut Attici populi claritatem et auctoritatem, quam superiori capite jam laudaverat, iterum praedicare videretur. Neque sane a vero discessit, nam εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ἑορτήν· ἄγουσι δὲ πάντες, πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων. οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια· καὶ οὗτοι κατὰ φόνον τινὰ σκῆψιν (1). Neque inde demum ab Jone populi

(1) Herod. I. 147.

origo repetenda erat, siquidem Ἀθηναῖοι ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλεομένην, ἦσαν Πελασγοὶ, οὐνομαζόμενοι Κραναοί· ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλέος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι· ἐκδεξαμένου δὲ Ἐρεχθέος τὴν ἀρχὴν, Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν. Ἴωνος δὲ τοῦ Ξούθου στρατάρχεω γενομένου Ἀθηναίοισι, ἐκλήθησαν ἀπὸ τούτου Ἴωνες (1).

Ceterum de Graecorum sive Asiaticorum, quae h. l. commemorantur, proverbiis, vid. Erasmus Adag. pp. 1032, 554 (cui add. Euripid. Cyclops v. 554) et 354 et Ferrat. ep. III. 16.

CAPUT XXX.

In possessione praediorum ejus familiam suam collocavit.

I. e. fecit Decianus ut mancipia sua praediorum ejus (Amyntae socrus) haberent possessionem naturalem, i. e. ut ab iis praedia sibi custodirentur et servarentur (2). Quoties enim servus *possidere* dicitur, possessionem habere naturalem habendus est (3).

Nam membra, quae debilitavit lapidibus, fus-

---

(1) Id. VIII. 44.

(2) L. 10 §. 1 et l. 25 §. 1 D. *de acquir. vel omitt. poss.*; l. 1 §. 9 D. *quod legatorum.*

(3) Vid. l. 88 §. 7 D. *de V. O.* et l. 118 D. *de div. reg. jur.*

tibus, ferro, manus, quas contudit, digitos, quos confregit, nervos, quos concidit, restituere non potest.

Pertinere haec Fulvio videntur Ursino (cujus adnotationem edit. Graevio-Garatoniana exhibet neque quemquam huc usque castigasse video) ad Amyntae mancipia, „quae, inquit, ad Decianum cum uxore transfugerant, atque apud eum ut liberi se gerebant." (1). Pulchram profecto dico libertatem, quae nec digitos quidem salvos habere patitur. Sed nusquam docetur quod de Amyntae mancipiis Ursinus narrat: imo *possidebat ea mancipia Amyntas* (2), neque de iis h. l. sermo esse videtur. Ipsum potius *aerumnosum patrem* hisce spectari crediderim, nam, quum Decianus praedia per vim occupasse dicatur, veri dissimile non habeo, ipsi Amyntae vim eum intulisse.

Tutor his rebus Graecorum legibus adscribendus fuit.

Verbum *rebus* e stolido gloss. esse Cl. Orellius opinatus est, quamobrem uncis illud inclusit. Ernesius „*his rebus* intellige, inquit, tabulis emtionum:" quod quomodo fieri possit, non assequor. Non enim in emtionum tantum tabulis Polemocratis, uti tutoris mulierum, mentio facta, sed tutor re vera datus fuit, uti ea quae in orat. sequuntur, arguere videntur. Quod autem Cicero ad Decianum dixit *scripsisti*, hoc inter-

(1) Vid. ejus adnot. ad c. h. o. XXXII.

(2) Vid. c. XXXII. §. 80.

preteris: *tuo consilio, tua opera factum est, ut Polemocrates scriberetur*. Graevius conjecit: *Tutor mulieribus G. l. a. f.*, neque Faërno et Lambino vocem *rebus* recipiendam esse visum est. Difficile sane dictu est, quid legendum sit, praesertim quum ea, quae ad hunc locum interpretandum necessaria sunt, plane ignoremus: sed videntur tamen verba *his rebus* retinenda esse. Quidquid enim interpretum conjecturae invicem differant, in hoc tamen omnes consentiunt, quod mulieri utrique tutorem adscribendum fuisse censeant, quod tamen negandum esse suspicor. Graecorum enim, Atheniensium certe, legibus maritus ipso jure tutor (*κύριος*) erat uxoris (1); quapropter Amyntae quoque uxorem maritum suum tutorem habuisse arbitror. Quod si verum est, alius ei tutor dari non potuit; siquidem nihil (quantum e verbis Ciceronis confici potest) acciderat, quo tutelam istam Amyntas amittere potuerit. Socrui vero, viduae neque tutorem, ut videtur, ullum habenti, tutor sine dubio dandus erat (2): ideoque de hac tantum orator dicere potuit, tutorem adscribendum ei fuisse. Legi igitur nequit sive *tutor his* (sc. mulieribus) *G. l. a. f.* sive *tutor mulieribus G. l.* cet., sed quum verbis *his rebus* haud facile aliquid substitui posse videatur, quo id significetur, quod rem, de qua agitur, requirere

---

(1) Vid. Meier und Schömann viri Cl. *Der Attische Process.* p. 56 et Cl. Plattner *Der Process und die Klagen bei den Attikern* p. 275 seqq.

(2) Iidem ibid.

verisimile est, ipsa Codicum lectio retinenda mihi videtur. Hanc autem ita capio, ut interpreter: *Ad has res agendas tutor Amyntae socrui G. l. q. f.* Non autem contendo, mulieribus Graecis toties tantum tutorem adscribendum fuisse, quoties aliquid peragere vellent, quod leges iis sine tutore perficere non permittebant, siquidem, ut apud Romanos, sic apud Graecos quoque mulieres in perpetua quadam tutela fuisse manifestum sit (1); sed fieri potuisse suspicor, ut mulieres, quibus nemo ipso jure κύριος exstiterit (2), quamdiu aliquid agendum iis non esset, in quo tutoris auctoritate indigerent, tamdiu sine tutore viverent, qui tunc demum iis adscriberetur, quum hujusmodi negotium gerere vellent. Quis autem hoc tutoris adscribendi jure usus sit, non satis constat. Scripserunt fortasse archontes (3).

Ceterum non prorsus ab hoc loco alienum videtur commemorasse non tantum apud Romanos, Graecos et Bithynos (4), sed apud Aegyptios quoque tutelam quandam mulierum fuisse; vid. Cl. C. J. C. Reuvens *Lettres à M. Letronne sur les Papyrus bilingues et Grecs* etc. Ep. III. pp. 7 seqq.

---

(1) Vid. Meier und Schömann l. l. p. 455, Plattner l. l. p. 273 et Cl. van Assen ad Gaii I. 190.

(2) Vid. Meier und Schömann ibid. et p. 456 et Plattner l. l. p. 274.

(3) Cf. Meier und Schömann l. l. p. 445 et Plattner ibid.

(4) Vid. Gaii I. 193.

CAPUT XXXII.

In P. Globulum, meum necessarium, fuisti gratiosior.

Omnino legendum puto *Apud P. Globulum*, quod de variorum conjectura dedit Schuetzius, probante Orellio, sive *Ad P. Globulum*, quod in sermone forensi saepe usurpari pro *apud* doct. S. J. E. Rau *Var. Lect. Lib. ad Cic. pert.* p. 35. docuit (1). Minus enim recte Manutius „*in Globulum*, inquit, *fuisti gratiosior*, id est munera contulisti, ideo nihil contra te decrevit;" quod de necessario suo Ciceronem dicturum fuisse non arbitror.

Cur autem praetor te, inimicum paternum, in consilium vocavit?

Manutius „praetor, inquit, Flaccus Romae." Graevius vero praeturam intelligit Asiaticam, cui adhaerere videtur. Non enim verisimile habeo, qui hujus orationis tempore triginta jam annos in foro Pergameno versatus fuerit et longo tantum intervallo Romam inde venerit (2), quique Flacco Ro-

---

(1) Idem vir doct. pro vulgato *Flaccum in curia* (s. *injuria*) *decrevissent veridicas*, quod manifesto corruptum est, legendum putat: *Flaccum injuria decrevisse dicis:* sed vereor ut haec sequentibus *Adjungis* CAUSAS *inimicitiarum* satis respondeant. Dubitavit sane hac de re vir clarissimus, quam mihi de nonnullis hujus orationis locis difficilioribus consulere licuit.

(2) Vid. C. XXIX.

mae praetore in Asia fuisse videtur (1), eundem hunc, praetorem urbanum, in consilium vocasse.

In liberos.

Fulvius Ursinus vocabulo *liberos* significari credit Amyntae mancipia, de quibus supra jam egimus. Quasi praetori decernendi tantum fuerit potestas in mancipia! Manutius vero de civibus capit Romanis, „nam censuerat, inquit, senatus, ut praetor Asiae, non modo in socios, *verum etiam in liberos*, quorum in numero cives Romani, et in iis Decianus erat, jus diceret." Scilicet hanc ob causam Apollonidienses ipsi liberi dicuntur (2). Rectius omnino Camerarius: *vel homines singulos, vel liberam in civitatem.* Apollonis enim libera fuit, quare orator c. XXX. §. 74 „Tutor, inquit, ... *Graecorum legibus* adscribendus fuit" neque praetori Apollonidiensibus, ut aliis provinciae incolis, nisi Senatus auctoritate intercedente, jus dicere, neque igitur decernere in eos licuit.

De liberis hujusmodi civitatibus praetoris jurisdictioni non obnoxiis, quum et aliis cautum fuit SCtis et legibus, tum etiam hoc ipso anno (695) lege, ut videtur, Julia *de provinciis ordinandis* (3).

---

(1) Vid. §. 79.

(2) Vid. C. XXIX. §. 71.

(3) Vid. Sigon. *de antiq. jure provinc.* II. 51, *ed. Mediol.* p. 573 c. et 574 a. Ernest. *Ind. hist.* v. *L. Piso* et *Ind. leg.* v. *Julia*, et Bach. I. l. II. 2 Sect. 1. §. LXXXIII. (ed. 5. p. 179).

Num aliter, ac censuit senatus?

F. Ursinus senatum intelligit Pergamenum, sed rectius, ut videtur, Manutius Romanum. Utebantur Apollonidienses legibus suis propriis, neo praetor Romanus jus iis dicere solebat (1); sed cautum tamen fuit SCto, ut certae quaedam causae ad praetorem deferrentur. Quam libera certe civitas cum cive egerit Romano, hanc ad eum delatam fuisse videmus, idque non demum ad Flaccum, sed ad Globulum quoque et Orbium, qui ei praecesserant. Quare erit fortasse, qui dicat, idem hoc sibi videri SCtum, quo supra classis imperandae potestatem praetori factam fuisse dicitur (2), cui nunc certe non repugno. Ejusdem sane fuit generis, cujus et ea, quorum in adnotatione proxime praecedenti mentionem fecimus.

In absentem decrevit.

I. e. *in eum, qui antequam praetor aditus aut mentio controversiae facta esset, discessisset*, qualis fuit Bidensis ille Epicrates apud Verrem (3) et P. Quintius, pro quo Cicero primam suam habuit orationem publicam. In hunc autem decernere non licuit, sed si quae ab eo petebantur, in haec is, qui petebat, custodiae causa, mittendus fuit (4), eique praetor deinde rem il-

(1) Vid CC. XXIX. et XXX.
(2) Vid. C. XII.
(3) In Verr. II. 23.
(4) L. 3, l. 7 §. 17, ll. 8, 9 et 10 D. *quib. ex caus.*

lam occupatam more solito usucapere permisit. Sin vero probaretur fraudandi causa discessisse, ideoque *latitare*, bona ejus ex edicto possideri et post dies XXX. vendi jubebantur (1). De hoc enim praetor (Romae certe, quod et in provinciis obtinuisse verisimillimum est) edixisse fertur: QUI FRAUDATIONIS CAUSA LATITARIT, SI BONI VIRI ARBITRATU NON DEFENDETUR, EJUS BONA POSSIDERI VENDIQUE JUBEBO (2); quare Deciano, Flaccum in absentem decrevisse calumnianti, acute orator objicit: *quum ibidem esses, quum prodire nolles, non est hoc in absentem reum, sed in latentem* (3). Ulpianus enim „ illud, inquit, sciendum est, posse quem in eadem civitate esse, et latitare: et in alia civitate esse, et non latitare. Etenim qui in alia civitate sit copiamque sui faciat in publico ibique pareat, an latitet, videamus. Et hodie hoc jure utimur, ut, sive quis eodem loco agat, sive alio, sive peregre, si tamen *occursum creditoris* evitet, latitare videatur. Denique eum quoque, qui in foro eodem agat, si circa columnas aut statuas se occultet, latitare *veteres* responderunt: et posse quem ad-

---

in poss. eat., l. 3 §. 23 et l. 10 §. 1. D. *de adquir. vel amitt. poss.*

(1) Cic. l. l. 24.

(2) Orat. pro Quintio XIX., XXVII. et XXVIII., l. 7 §. 1 D. *quib. ex caus. in possess. eat.*

(3) Haec verba *sed in latentem* in orationis nostrae editionibus non reperiuntur, sed recte, ut videtur, in Schol. Bob. praecedentibus subjiciuntur. Cf. doct. S. J. E. RAU *Var. Lect. Lib. ad Cic. orat. pertinens* p. 192, Lugd. 1831.

versus alterum latitare, adversus alterum non (1). *Latitare* autem est *cum tractu aliquo latere*, (quemadmodum *factitare frequenter facere*)" (2); quod ut judicium habeatur, ejus, qui petit, fraudandi causa fiat necesse est.

At haec praedia etiam in censu dedicavisti. Omnino h. l. legendum arbitror *ad haec*, quum quod sic se habet in MSS., tum quod, hac lectione rejecta, locum interpretari nequeo. Etenim si cum Lambino, Ernesto, Beckio, Schuetzio et Orellio, viris doct., quibuscum tamen alii hac in re non faciunt, accipiendum censemus *at*, locum ita interpretemur necesse est, ut Ciceronem finxisse intelligamus, sibi, Flaccum a Deciani calumniis defendenti, ab hoc objectum demum fuisse aut objici posse, Valerium, quod praedia in censum a possessore delata restitui jussisset, idcirco injuria decrevisse dici posse. Hoc autem si verum esset, sequeretur, praedia ista ante quam Flaccus decrevisset in censu dedicata fuisse, quod sequentibus tamen repugnare videtur. Dixit enim orator, Decianum in censu detulisse praedia *a magistratibus Romanis* in integrum restituta. Restituerant autem P. Orbius et L Flaccus, nam P. Globulum contra Decianum non decrevisse, hujus capitis initium luculenter satis docet. Equidem non nescio summum Garatonium hoc ita in-

(1) L. 7 §. 13 D. eod. 3 add. l. 199 D. *de V. S.*
(2) Ibid. §. 8.

terpretari conatum esse, ut verbis *a nostris magistratibus* unum P. Orbium significari suspicaretur; neque deerit fortasse, qui dicat, oratorem nostrum, ut res oratorie exaggeret, sic loqui solere, quod minime nego; sed hoc dico, quod nemo profecto negabit, ubi sine conjecturis veterum scripta recte interpretari posse videmur, ubi praeterea codices MSS. huic interpretationi faveant, ibi vel a minima conjectura abstinendum semper esse. Accedit quod, quum census a Lentulo inde et Gellio (a. u. 684 (1)) usque ad annum DCXCIII. intermissus fuerit, lustrumque anno demum sequenti, Afranio et Metello coss., conditum (2), ne hoc quidem commento admisso, totius hujus loci explicatio, ut Garatonii adnotatio satis docet, sine conjectura procedit; quam ob rem idem vir ille doct. gravem sibi esse dixit suspicionem, visum cui iri, Flaccum de rebus a Deciano in censum delatis, quod eas post Flacci demum ab Asia discessum census fuerit, judicare non potuisse. Itaque verbis illis supra descriptis non comprehendi, quod Decianus Flacco objecisset, sed ipsum Tullium Laelii huic subscriptori factum minus honestum iis exprobrare cum

(1) Vid. Duker. ad Liv. Epit XCVIII.

(2) Luculentur hoc (teste Garatonio) ex Cicerone demonstrat Sigonius in Fastis ad a. DCLXXXIX. et XCII. ,, Vide, vir ille doct. inquit, insignem locum pro Archia V. et Manut. ad argument. ejus orat. et alterum I. ad Att. 18.'' Add. Pighius Ann. XVI. a. DCLXXXIII., LXXXIX. et XCII. et, quem laudat, Dion. XXXVII. 9.

eodem doctissimo Ciceronis interprete multis suspicor. Huic opinioni favere insuper videntur verba sequentia *Verum esto*, quibus Cicero non quum defendit, sed, ut vel ex l. 6. c. XXIX. §§. 71 et 72 satis apparet, postquam commentatus est, saepissime utitur. Sic etiam sequens illud *Mitto* et *Census ex* nullum non tam ad opinionem nostram confirmandam habere videtur, neque video praeterea, cur Cicero dixisset: „*At haec* praedia," quum non in iis, quae proxime praecedunt, sed sexta demum ab hinc paragrapho praediorum mentionem faciat. Itaque totum locum sic interpretor. Postquam Cicero Flaccum contra Decianum defendit et huic defensioni, ut gravissimis eam documentis corroboraret, literas addidit Quinti fratris, in ipsum Decianum, ut hunc hominem aequissimum esse ostendat, vehementius denuo invehitur. Ipsae Quinti literae summas Deciani injurias commemoraverant, quare, hisce praelectis, orator: „*Quid?* inquit, *haec Apollonidienses, accusatores tui, ad Flaccum denum detulerunt? Apud Orbium acta non essent? ad Globulum delata non sunt? Nonne homo es sceleratissimus, de quo Apollonidienses omni tempore querendum putaverunt? de cujus injuriis me consule omnia postulata ad Senatum detulerunt?* Praeterea, dubitastine tu hoc in judicio falsum proferre, qui apud censores nostros falsum profiteri veritus non es? *Praedia* enim tu, Amyntae *in censu dedicavisti. Mitto, quod aliena: mitto, quod possessa per vim: mitto, quod convicta ab Apollonidensibus: mitto, quod a*

Pergamenis repudiata: mitto etiam, *quod a P. Orbio et L. Valerio Flacco, magistratibus nostris, in integrum restituta*: mitto, quod quae *nullo jure, neque in re, neque in possessione tua fuissent*, in censum deferre ausus es: haec omnia, licet fraudes tuas evidentissime evincant, tamen, quoniam tua esse et Flaccum injuria in te decrevisse dicis, mitto, inquam, mitto. Ponamus, ita vis, summo jure esse tua: tamen falsum te professum esse negare nemo potest. Fundos enim in censu dedicavisti extra solum Italicum sitos, qui, quod res sunt *nec mancipi*, ideoque *jus civile non habent*, *bonorum censendo non sunt* (1); imo vero, quod rei publicae obligari nequeunt, idcirco censeri a te non possunt. Hosce, inquam, fundos censuisti: falsum igitur professus sis atque hoc censu in [illegible] imperia, cui minime [illegible] necesse est. Quid? quod, ut censere, ne Romam quidem venisti, sed absens censitus es (2)? [illegible], vel his aliisque de fraudibus tuis [illegible] constat? *Commissum, si tempus aliquod gravius accidisset, ut tua culpa hic eadem praedia et Apollonide et Romae imperatoris essent tributum. Verum satis! gloria-* [illegible]

(1) Sic hunc locum docte interpretati sunt Cujacius ad L. 121 D. *de V. S.* et, qui hunc secutus est, Graevius ad h. l.

(2) [illegible] significationem verbis: *In qua tribu denique ista praedia censuisti, subesse*, innuere videtur Hublmann *Staatsrecht des Alterthums* p. 324. Absens autem censeri turpe habebatur, cf. Cic. ad Att. I. 18. et Gell. Noct. Att. V. 19.

sus fuisti: voluisti magnum agri modum censeri et ejus agri, qui plebi Romanae dividi non potest. Hoc enim unicum illud est, quo te a fraudandi hac in re consilio quodammodo defendere licet. *Census es praeterea numeratae pecuniae,* cet. Haec fere orator sibi voluisse mihi videtur; quod si verum est, ex his simul apparet, verba controversa omnia bene secum invicem cohaerere, neque opus esse, ut Decianum post Orbii, sed ante L. Flacci tamen decretum praedia in censu dedicavisse statuamus. Nihil enim obstat, quominus post Flacci demum praeturam Asiaticam, a. u. (693 aut 694, quo censum habitum fuisse supra vidimus, Decianum praedia censa fuisse credamus: imo vero, quum ex h. o. c. XXX. §. 78 conficiatur, Decianum vel hujus judicii tempore praedia ista in possessione habuisse, quod facile sane, quum socrum Amyntae sibi haberet, fieri potuit, res ipsa, ut ipsum illud statuamus suadere nobis videtur. Miror sane ingeniosissimum literarum illum fautorem, Garatonium dico, hujusmodi quid non adnotasse, praesertim quum et in aliis hoc loco reliquis acutius viderit et, ut supra significavimus, Lambini conjecturam, et legentis, accipiendam esse negarit. Sed ipse fortasse fallor.

Subsignari apud aerarium, apud censorem possunt?

Schol. Bob. „Subsignandi, inquit, haec solebat esse causa, ut aut qui vectigalia redimeret, aut qui pro mancipe vectigalium fidem suam interponeret, loco pignoris (sic) praedia sua rei p.

obligarent, quoad omnem pecuniam redemptores vectigalium repensarent." Quod si verum est, uti l. 5 §. 10 D. *de jure immunitatis* verum esse evincit, ex h. l. verisimillimum fit, Decianum fuisse publicanum; quam ob rem locum hoc modo interpretari conatus sum: Praedia ista, quod, quoniam res habentur nec mancipi, jus civile non habent, censui censendo non sunt: imo, quum te, publicanum, res in censum deductas rei publicae obligare ideoque apud aerarium subsignare oporteat, sed res tantum, quae juris sunt civilis, rei publicae vinculis obstringere liceat, censeri a te non possint.

CAPUT XXXIII.

Et eum tu accusas avaritiae, quem dicis sestertiûm vicies voluisse perdere?

Minus recte, uti quisque videt, Schol. Bob. haec refert ad Laelium. Spectant enim, ut sequentia *nam quid emebat, quum te emebat?* cet. luculenter docent, ad Lucceium. Cf. Manutius ad h. l. et doct. Rau l. c.

CAPUT XXXIV.

Intestato.

Uxor, quae in manum marito convenerat, fili-

ne ei fuit loco (1), ideoque testamentum facere non potuit (2). Mulieribus vero sui potentibus tutelae adstrictis, tutoribus auctoribus, testamentum condere licuit (3), quin tamen in se, quo jure feminae post factum quoddam, Hadriani tempore factum, usae sunt, eodem Ciceronis aetate non fruebantur. Tunc enim temporis feminae testamenti faciendi jus non habebant, nisi coemptionem fecissent fiduciariam, i. e. nisi coemptionem fecissent et deinde emancipatae fuissent; sed hanc necessitatem coemptionis faciendae ex auctoritate Divi Hadriani senatus sustulit (4). De industria igitur orator *intestato* Valeriam mortuam fuisse dicere non omisit, quoniam, si testamentum fecisset illa mulier, hoc ipsum, ut nullo jure factum, impugnandum ei fuisset.

In manum, inquit, convenerat. — Nunc audio. Sed quaero, usu, an coemptione? Usu non po-

(1) Vid. Gaii I. 111, 114 et 115.

(2) Vid. Ulpian. Fragm. XX. 10, Gaii Epit. II. 2 § 2, Instit. Just. *Quib. non est permiss. fac. test.* pr.; cf. Grupen. *de Ux. Rom.* c. III. §. 12; add. cons. C. v. Vollenhoven Diss. inaug. Lugd. Bat. 1832. p. 93.

(3) Gaii I. 192 ibique adnot. Cl. v. Assen? II. 112 et 118, III. 43, Ulp. Fragm. XX. 15 et XXIX. 3.

(4) Vid. cons. C. v. Vollenhoven l. c. pp. 91—96, qui recte, ut videtur, interpretatus est locum Cic. Topic. IV. huc pertinentem, quod minus prospere cessit Boethio Comm. Lib. II.

tuit. Nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.

Quanta huius loci sit difficultas vel hinc intelligitur, quod duabus opinionibus, sibi invicem contrariis, ansam praebuit, eumque utriusque propugnatores in partes vocant. Sunt, qui putent mulieres, legitimae tutelae subjectas, omnibus earum tutoribus auctoribus, usu in manum convenire potuisse (1); alii vero hoc Jure Romanos, Ciceronis certe tempore, usos fuisse, negari posse sibi visi sunt (2). Omnium autem optime locum interpretatus videtur doct. Eggers (3). Etenim conditio filiarum familias conditioni rerum mancipi erat simillima (4), ita ut quemadmodum hae, sic et illae quoque mancipatione quadam e potestate unius in alterius potestatem transgredi pos-

(1) Vid. Cl. C. J. v. ASSEN Adnot. ad Gaii Comm. I. 128; F. W. TH. EGGERS *Ueber das Wesen und die Eigenthümlichkeiten der alt-Römischen Ehe mit Manus*, Altona 1833. p. 91 seqq., Cl. ZIMMERN. *Gesch. des Röm. Privatrechts*, Tom. I. §. 227, FUSS *Antiq. Rom.* §. 327, HEINECC. *Synt. Antiq.* I. 10. n° 15, BRISSON *de ritu Nupt.* p. 301, TREKELL. ad Brisson. II. pp. 302 et 304, GRUPEN. Tract. *de Ux. Rom.* c. VI. §§. 2 et 6, alii.

(2) Vid. G. D'ARNAUD *Var. conj.* I. 27, GARATON. ad l. nost., HASSE *Güterrecht der Ehegatten*, T. I. pp. 69 et 70, add. Hall. Lit. Zeit. 1824, n°. 184.

(3) L. c. p. 95 seqq.

(4) Cf. Gaii I. 52, 55, 117—120 ibique Cl. v. ASSEN. Quod docent Javolenus et Paulus l. 23 §. 2 et l. 30 §. 1 D. *de acquir. vel amitt. poss.*, hoc huic opinioni repugnare nemo, credo, arbitratur. Cf. GRUPEN. l. c. c. VI. §. 6.

sent (1). Haec autem mancipatio in rebus mancipi non semper erat necessaria, sed legibus cautum fuit, ut hujusmodi res, nisi mancipatae essent, legitima possessione usucaperentur; neque hoc in mulieribus Romanis non obtinuit (2) Itaque, quum juris prudentes Romani hac semper fere fuerint mente, ut, si quam rem alii similem reperirent, eadem juris placita, quae hanc spectarent, ad illam quoque referenda arbitrarentur, consequens est dicere, quod juris fuerit in rebus mancipi, idem fere, quantum fieri possit, in interpretatione juris mulierum, ad hoc quoque applicatum fuisse. Res mancipi, nulla praecedente mancipatione, e dominio unius in alterius dominium *usucapione* transferri poterant: mulieres Romanae *nulla facta coemtione*, *e potestate aut manu in manum usu* transgrediebantur (3). Ut igitur in illis usucapio locum occupabat mancipationis, ita in his usus sufficiebatur coemtioni. Res autem mancipi, quae ad mulierem sui juris pertinebant, usucapi quidem poterant, sed non nisi omnibus ejus tutoribus auctoribus traditae essent (4): quam ob rem dicendum

---

(1) Idem ll. cc. et 113—115 idemque V. C. ad h. l.

(2) Idem II 41 et 42 et I. 111, Gellius Noct. Att. III. 2, Macrobius Saturn. I. 3.

(3) Idem ll. cc.

(4) Idem I. 192, II. 47, 80 et 85, Cic. Ep. ad Att. I, 5. Agitur hac epistola de hereditate, quae puellae cuidam venerat, quamque Cicero usucapi potuisse idcirco, credo, negavit, quod res esset mancipi eaque, cui venisset, legitimae tutelae subjecta. Quod autem orator tantum

videtur, istiusmodi mulierem ipsam usu in manum convenire potuisse, interposita scilicet auctoritate omnium ejus tutorum. Sunt sane, qui negent, huic tutorum auctoritati in conventione in manum, quae usu fiebat, locum fuisse, quum, ut aiunt, usucapioni rerum mancipi praecederet rerum traditio, cui tutorum auctoritas interponi posset, sed conventionem in manum nihil comitaretur, quod hujusmodi auctoritatem admisisset; sed doct. Eggers respondet, cujuscunque generis nuptiis praecessisse *conventae conditionem* (1), atque hujus tutores auctores fieri debu-

---

dixit *nihil usucapi* posse, neque addidit *sine tutorum auctoritate*, hoc ita forsitan explicandum, ut eum cogitasse tantum habeamus aut usucapionem hereditatis (cf. Gaii II. 54—56), quae, quum hereditas res esset incorporalis neque igitur tradi posset (vid. Gaii II. 19 et 28, l. 4 §§. 27 et 29 D. *de usurpat. et usuc.*, l. 43 D. *de acquir. rer. dom.*, l. 3 pr. D. *de acquir. vel amit. poss.*, l. 14 pr. D. *de servitut.*), sine traditione procedere solebat, aut usucapionem, qualis vulgaris erat, in qua, sicut in altera illa, neque traditioni neque auctoritati erat locus. Accuratius profecto idem in hac orat. pro Flacco: „ Nihil enim potest de tutela legitima *sine omnium tutorum auctoritate* deminui:" quare assentiendum fortasse doct. d'Arnaud et Trekellio ll. cc., hac Ciceronis epistola de pupillari tutela agi opinatis, praesertim quum Gaius, si res pupillarum eadem conditione fuissent, ac res mulierum, nullam prorsus earum II. 47 rationem habiturus fuisse non videatur (cf. II. 80 et Ulpian. Fragm. XL. 27) Dicendum fortasse Ciceronem sibi voluisse, res pupillarum usucapi non possunt, siquidem pupilli in integrum restituuntur; cf. l. 110 §. 2 D. *de div. reg. jur.* et l. ult. C. *in quib. caus. in int. restit. nec. non est.*

(1) Festus d. V. S. in voce „ Conventae conditio di-

isse, ut mulier usu in manum convenire posset. Haec enim conventae conditio in conventione in manum usu faciendae (1) locum tenuit traditionis in usucapione rerum mancipi ad mulieres sui juris pertinentium.

Hanc argumentationem secutis locus Ciceronis supra descriptus nullam prorsus nobis difficultatem suggerere videtur. Quod enim Cicero simpliciter non dixit, Valeriam neque usu, neque coemtione in manum convenire potuisse, quoniam Flaccus neutrius auctor fuisset, hoc profecto non tanti facio, ut hanc ob causam Eggersii interpretationem non admittendam et Ciceronis verba cum Garatonio aliter explicanda suspicar, praesertim quum hujus interpretatio juris peritum non oleat (2),

---

cebatur, cum primus sermo de nuptiis et earum conditione habebatur." Cf. EGGERS l. c. §. 5.

(1) Quidquid Grupenius l. c. VI. §§. 1—8 disputet, videntur tamen veteres JCti, quando de hominibus liberis sermo esset, verbo *possideri* usi non fuisse (cf. l. 23. §. 2 et l. 30 §. 1 D. *de acquir. vel amitt. poss.* et Gaii II. 48). Animadvertere certe licet Gaium I. 111 dixisse *nam* VELUT *annua possessione usucapiebatur*, quod fortasse et Eggersium fugit.

(2) Primum enim V. C. verba Ciceronis ita interpretatus est, ut oratorem dixisse intelligeret, ipsam tutelam legitimam usucapi non potuisse, quod tamen e verbis hujus minime conficiendum esse neminem, credo, latet. Omnis enim tutela res est incorporalis (cf. l. 1 §. 1 D. *de rer. div. et qual.*, Instit. Just. *de reb. corp.* §. 2, Gaii Epit. II. 2 §. 5), quam ob rem non modo legitima, sed omnis cujuscunque generis tutela, e jurisprudentia Romanorum, usucapi nequivit (vid. not. 8). Praeterea cui mulier in manum convenit, hic ejus tutor non fiebat, sed

nec videam, cur oratori non ita loqui liceret, uti noster loculus esse videtur. Imo, si quis erit, qui dicat, Ciceroni necessario ita argumentandum fuisse, huic non repugnam. Etenim inter eos, ad quos Tullius orabat, erant fortasse, qui, ut mulier usucaperetur, sufficere putarent, si annum continuum, trinoctio non interruptum, apud virum perseverasset, neque juris adeo essent periti, ut mulierem istiusmodi tutorum auctoritate indigere arbitrarentur (1), ita ut Cicero, quum Valeriam usu in manum convenire potuisse negavit, statim causam, ob quam non potuisset, subjiciendam esse putaverit. Hoc sane modo dilucidius rem exponebat. Praeterea, ut rem accurate tractaret,

---

patriam in eam acquirebat potestatem (Gaii I. 111). Atqui tutores patriam potestatem non habent. Ergo. Deinde vero V. C. dixit, naturam usucapionis omni auctoritati sive concessioni ita repugnare, ut, ubi haec intercedat, illa consistere nequeat; quod valde profecto miror. Quaenam enim, quaeso, est usucapio rerum mancipi, quae neque mancipatae, neque in jure cessae, sed traditae tantum sint? Nimirum talis, qualem Garationius esse posse negavit (cf. Gaii II. 41 et 47). Quid? praetor ipse nonne saepissime bonorum dedit possessionem eo consilio, ut bona ista usucaperentur? (cf. adnot. nost. ad c. h. o. XXXII. verba *in abs. decrev.*; add. locis ibi laud. ll. 5 pr. 12 et 15 §§. 16 et 33 D. *de damno infecto*). Atque eodem plane modo, ut hoc obiter commemoremus, vel et hodie servitutes quaedam praediorum concedi possunt, quas tamen, nisi concessio scriptis mandata sit, longi temporis, ut ita dicam, possessione usucapi oportet (vid. cc. art. 690).

(1) De simili juris ignorantia T. Pomponii Attici vid. Ep. ad Att. I. 5.

singula ita, ut fecit, disponenda fuisse videntur: quare recte doct. Eggers hujus loci sensum constituit, quum eum Germanice his verbis explanavit „durch usus hat es in diesem Falle nicht geschehen konnen, den an einer tutela legitima kann nichts geschmälert werden ohne auctoritas sämmtlicher Tutoren. Durch coemtio denn? Ebenfalls also durch die auctoritas aller dieser hätte es geschehen sollen? Das Fernere bezieht sich dann nicht bloss auf die coëmtio, sondern auf beide Arten der Ehe mit manus." Restat tamen ut quaedam dicamus de verbis *nihil* et *legitima tutela*, quae viris doctis difficultatem quandam habere videntur (1). Gaius II. 47 „mulieris, inquit, quae in agnatorum tutela erat, *res mancipi* usucapi non poterant, praeterquam si ab ipsa tutore (auctore) traditae essent" et 80 „Nunc admonendi sumus, neque feminam, neque pupillum sine tutore *rem mancipi* alienare posse: *nec mancipi vero feminam .... posse*" (2: dum tamen Cicero „*nihil*, inquit, de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui potest." Ne autem statuamus, Ciceronis tempore Romanos hoc jure usos non fuisse, dissuadere videntur verba Gaii *id ita lege XII tabularum cautum erat* (3); quam ob rem voc. *nihil* oratorie a Cicerone dictum suspicor, ita ut tantum significet *nihil de*

---

(1) Vid. Cl. ZIMMERN l. c. T. I. §. 245.

(2) Add. Ulpian. Fragm. XI. 27, Fragm. Vat. I. 45.

(3) Vox enim *ita* prorsus Hugonis opinioni repugnare videtur; vid. Cl. ZIMMERN l. c. not. 3.

rebus pretiosioribus; aut *nihil de rebus iis, quae vi legitimae tutelae tutoribus adstrictae sint.* Quod autem ad verba *legitima tutela*, omnino animadvertendum puto, Gaium dicere, „mulieris, quae in *agnatorum tutela* erat," quae quum Ciceronis verbis plane respondeant, statuendum opinor, in tutelis non legitimis res mulieris mancipi usucapi potuisse (1). Praeterea, quidni usucapio in hujusmodi tutelis admissa fuisset, quum ejus generis tutores, ut testamenti faciendi aut res mancipi alienandi auctores fierent, inviti cogi potuissent (2).

Coemptione?

Gaius Comm. I. 109 „in potestate, inquit, et masculi et feminae esse solent: in manum autem feminae tantum conveniunt" et §. 110 „Olim itaque tribus modis in manum conveniebant: usu, farreo, coemptione;" quibus igitur verbis luculenter confirmatur, quod docuerunt Grupenius *Tract. de Ux. Rom.* c. II. §§. 4 seqq. aliique, quos idem hic laudat §. 5, quibus addantur Trekell. ad Brisson. *de ritu Nupt.* p. 293, Heinecc. *Synt. Ant.* I. 10. n°. I. et Fuss. *Antiq. Rom.* §. 326,

(1) Quod Gaius legitimae patronorum et parentum tutelae mentionem non facit, hoc insuper probare videtur, nihil eum aliud retulisse, nisi quod XII. tabulis cautum fuerit, quum, ut aliunde (Instit. Just. I. 17 et 18) satis constat, in his de tutelis iis non ageretur.

(2) Cf Gaii I. 192, II. 122 et III. 43.

opinionesque eorum, quos c. IV. §§. 16—21 refutat, (quibus annumerare licet d'Arnaud Var. Conj. I. 28), omni verisimilitudinis specie destituuntur. De usu quaedam jam vidimus, quibus addere nobis liceat, Gaii jam aetate antiquam istam nuptiarum contrahendarum rationem partim legibus sublatam, partim ipsa desuetudine obliteratam fuisse (1). Cetera videantur ejus Comm. I. 111 et doct. Eggers l. c. quosque hic §. 1 laudat.

De confarreatione quum saepius antiquitatis interpretes disseruissent, non est quod h. l. disertim agamus: praesertim quum orator noster mentionem ejus non faciat (2). Sin autem causam quaeras, cur Cicero eam h. l. omiserit, hanc in eo quaerendam esse doct. Grupenius docuit, quod jam Ciceronis tempore confarreatio in desuetudinem abierit (3), cui Cl. Trekell. addit, Romanos praeterea, ad quos Tullius oraverit, ne suspicari quidem potuisse, nuptias Sextilii et Valeriae confarreatione contractas fuisse, siquidem in hujusmodi nuptiis contrahendis praesentia requireretur pontificum, quos Valeriae, nuptiis ineundis, non adfuisse sponte patere debuerit: praesertim si, ut probabile sit, matrimonium illud in provincia inivisset. Hanc explicationem doct. Garato-

(1) Vid. Gaii I. 110 et 111 et Cl. v. Assen ad §. cit. 110 et §. 113.

(2) De hoc ritu, praeter alios, egerunt Fuss. *Antiq. Rom.* §§. 526 et 527 (p. 507 seqq.), Heinecc. *Synt. Antiq.* I. 10 n. I.—IX. et in primis Grupen. *de Ux. Rom.* C. IV.

(3) *De Ux. Rom.* C. IV. §. 19.

nius quoque, Eggersius aliique receperunt, quam tamen, nisi tantis viris probatam vidissem, fortasse non admisissem. Videbatur enim orator, etiam si ejus jam aetate confarreationis ritus frequentatus non fuisset (quod de Tiberii quidem, minime vero de Ciceronis tempore constat), videbatur, inquam, quoniam Sextilii tamen nuptiae confarreatione contractae esse potuissent, hujus ritus rationem nullam non habiturus, aut matrimonium (si haec causa fuisset, cur Valeria confarreatione in manum convenire non potuisset) *in provincia* contractum esse, commemoraturus fuisse, siquidem in reorum defensione ne minutissimas quidem res negligere solebat. Quod quum non fecisset, in eam fere hoc ipso loco me duxit opinionem, ut mulierem, patre superstite non gaudentem, confarreatione in manum convenire non potuisse suspicarer: quam quidem rem Romanorum sacra, quae confarreationis ritui intercedere solebant, quibusque patrem sive mulieris, sive conjugis futuri utriusque (boni omnis causa?), adesse fortasse oportuit, explicare forsitan possunt (1). Porro de nuptiis hoc ritu contractis videantur quoque Gaii I. 112, Eggers. l. c., alii.

Coemtionis denique, quae quomodo celebrari soleret, idem docuit JCtus I. 113, duo potissimum fuere genera, alterum matrimonii causa factum, alterum

(1) Cf. P. Pithoei Coll. LL. M. et R. Tit. XVI., Eggers l. c. § 8, p. 79.

coëmtio fiduciaria dictum (1). De illa tantum h. l. agi cuivis patebit. Loquitur autem Gaius de coëmtione matrimonii causa faciunda ita, quasi a mulieribus tantum sui juris, tutoribus auctoribus, contrahi potuisset. Quid vero, si pater filiam, quam in potestate haberet, in matrimonium collocare voluerit? Nimirum, ipso patre auctore, coëmtionem sponsa facere potuisse videtur (2).

CAPUT XXXV.

In tutela Flacci.

Errat Scholiastes Bob. Valeriam dicens de libertis fuisse Flacci, quum ipsa hac oratione *ingenua* fuisse dicatur. *Tutela* igitur *legitima* h. l. non est patronorum, sed, uti supra significavimus, agnatorum, quibus XII. Tabb. lege intestatorum hereditates veniebant (3), quod vocabulum *tutores*, quo orator saepissime utitur, manifesto praeterea evincit. De mulierum autem tutela vid. Cl. Zimmern Gesch. des Römischen Privatrechts T. 1. §§. 243—245.

---

(1) Vid. Gaii I. 114 seqq. et idem vir cl. ad h. l. et §. 109.

(2) Cf. Grupen. l. l. C. V. §. 14, quo capite de hoc in manum conveniendi modo egit, Eggers l. c. §. 9.

(3) Gaii I. 155 et 157.

Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo religioni suae, tamen iratum Flacco esse vidistis.

Orellius ad h. l. adnotavit: „In *religioni* offenderunt Ernestus, Beckius, Bremius, Schuetzius (qui conjectura, in quam incidit etiam Bremius, edidit *orationi:* ingeniose, sed parum probabiliter), Wolffius (qui conjecit *irae* vel *sibi m. e. in t. d. religione sua* contra Latinitatem, ut interdum accidit Viro doctissimo). Locum equidem sanum censeo. *Religio* judicis, testis, apud Latinos nihil aliud est, nisi, ut nos Germani dicimus, intima conscientia, jurejurando insuper constricta. Sed huic quoque moderari, id est modum aliquem imponere potest et dignitas civis, et verecundia et vetustas s. familiaritas. E Romanorum sensu loquor." Verum haec interpretatio prorsus repugnat iis, quae dicuntur c. h. o. IV.: „Iratus dixit M. Lurco, quod (ut ipse aiebat) libertus erat ejus turpi judicio condemnatus. Nihil dixit, quod laederet eum, quum cuperet: *impediebat enim religio.*" Etenim si M. Lurco religioni suae modum imposuisset, non profecto se ipse, uti fecit, sustentasset, neque, quum Flaccum laedere cuperet, metuisset, ne quid plus minusve, quam necesse esset, diceret. Orellii igitur explicatio sensum exhibet plane contrarium ei, qui, ex nostra opinione, Ciceronis verbis subesse debet. Conjecit vir quidam clarissimus,

quem de hujus orationis locis corruptis diligenter consului, quique benevole, ut solet, quae sibi in mentem venerint, mecum communicavit, conjecit, inquam, legendum esse: *Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatum et in testimonio dicendo religiosum, tamen iratum Flacco esse vidistis*, quae conjectura omnino mihi arridet.

CAPUT XXXVI.

Decisionis arbiter C. Caecilius fuit.

Minus recte, ut opinor, Graevius, cui alii assentiri videntur, decisionis arbitrum *testem transactionis* esse dixit; quod eo magis miror, quod ipse sequentibus docuit, *obsignatorem*, quem ab arbitro orator noster probe distinguit, hujusmodi testem fuisse. Recte autem Manutii explicationem accipi posse suspicor, *arbitrum* dicentis, qui inter Andronem et Flaccum decideret et statueret. Minime sane nego *decisionem* esse *pactionem*, ut ipsa Ciceronis verba, quemadmodum Graevius animadvertit, satis indicant (1): sed transactionis arbitrum eum esse puto, cujus arbitrio, ut, qua-

(1) Cf. Orat. pro Rosc. Com. CC. XI.—XVI., l. 44 D. *de pactis* et BALD. ad h. l.

lem pactionem fieri oporteat, ex fide bona decernat, partes transactionem permittant. Cf. ll. 76 et 77. D. *pro socio*.

CAPUT XXXVIII.

Neque tamen ille ipse, pro meo jure dico, vobis judicibus damnatus esset, cujus damnatione sepulcrum L. Catilinae floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est, justa Catilinae facta sunt.

Haec verba Garatonio significare visa sunt, Ciceronem magnopere Flacci judicibus confidisse, quod argumentum non leve praebere dixit suspicandi, L Flaccum post Antonium et legem Vatiniam accusatum fuisse, atque ita *commodiorem conditionem rejectionis* (1) habuisse: sed vereor ut haec opinio alicujus pretii haberi possit. Obstare enim videntur cc. h. o. XXXIX.—XLII., quae, Ciceronem haud ita multum judicum erga Flaccum benevolentiae tribuisse, manifesto, ni fallor, evincunt. Ad haec lex Vatinia vim suam in hoc judicium exercuisse non videtur. Fingamus enim Antonium initio mensis Januarii accusatum fuisse (2), Publiumque Vatinium, postquam reus

(1) Vid. orat. in Vatin. c. XI.

(2) Cf. ORAT. ARGUM. et ORAT. CONSTIT. §. 8.

ille factus esset, legem suam statim pertulisse (1), non tamen ante mensem Februarium Laelium in Asiam proficisci potuisse, quisquam, credo, dicet (2). Septem igitur restant tantum menses, quibus crimen inquirere potuisset, quorum unum tamen detrahit c. h. o. IX., quod docere arbitror, ne tricesimo quidem die, quo Laelius ex Asia rediisset, Flacci causam actam fuisse (3). Cicero vero, quum in causa Verris C et X dies ad inquirendum in Sicilia postulaverat (4), hoc ipsum tempus *diem perexiguam* dixit (5): quamobrem C ad minimum et L postulare ei licuisse suspicor. Quod si verum sit, Laelio profecto, minime festinanti (6), multo plures, CCC fortasse, CC certe et L dies in Asia inquirendi denegari non potuisse videntur (7). At sex tantum menses, si post legem Vatiniam Flacci nomen ab eo delatum fuisse dicas, in inquisitionem impendere potuit. Itaque ante hanc legem Flaccum reum postulasse videtur; neque immerito Cl. Garato-

(1) Vid. orat. in Vatin. l. c.

(2) Cf. Cl. KLENZE *Fragm. leg. Serviliae repet.* C. VIII, et BACH. *Hist. Jurisp. Rom.* II. 2. Sect. 1. §. LXXIV. (ed. 5 p. 175). Criminis autem inquisitionem post judicum sortitionem fieri solitam fuisse C. h. o. IX. arguere videtur.

(3) Cf. adnot. nost. ult. ad C. illud IX.

(4) Vid. in Verr. Lib. I. 11.

(5) Act. in Verr. I, 2.

(6) Cf. d. C. IX.

(7) Cf. FERRAT. et GARATON. ad P. Manutii h. o. argum.

nius verebatur ut, si contrarium admitteret, temporis spatio satis magno Laelii accusationem circumscriberet. Verba autem Ciceronis supra apposita ita capienda esse opinor, ut eum, benevolentiae tantum judicum captandae gratia, istam sibi de iis esse mentem significare habemus.

THESES.

I.

A vero discedunt, qui cum Manutio, Ernesto aliisque orat. pro Flacco c. IV. §. 11 v. *putasset* ad Flaccum referendum esse arbitrentur.

II.

Verba *distributis partibus* neque e capite VII. orat. pro Flacco in caput VI., ut Gronovius suspicatus est, intrusa videntur, neque in ipso capite VII. pro glossa habenda sunt; nec tamen Orellius recte eadem interpretatus est.

III.

In Orat. pro Flacco c. XXV. §. 60 pro *ex sedibus*, quod dedit Henr. Stephanus, probantibus Garatonio, Huldrico aliisque, omnino legendum suspicor *ex aedibus*.

IV.

Errarunt Lambinus, quique cum hoc faciunt, Graevius, Ernestus, Beckius, Schuetzius et Orellius in orat. pro Flacco c. XXXII. §. 79 verba *Ad haec* in *At haec* mutanda esse opinati.

V.

Non assentimur iis, qui C. Antonium repetundarum aut majestatis judicio damnatum fuisse existiment.

VI.

Verba Vell. Paterc. II. 23 „C. Flavius Fimbria Valerium Flaccum *consularem* virum interfecerat" et Appiani de bell. Mithrid. c. 51 „ἔκτεινεν (Fimbria) ὕπατόν τε ὄντα Ῥωμαίων optime explicari possunt.

VII.

Lex Aurelia disertis verbis judicatum ad senatores, equites et tribunos aerarios detulisse non videtur.

VIII.

Verisimile est legem Corneliam repetundarum judicio judices LXX circiter dedisse.

IX.

Erat Cl. Klenze Fragm. leg. Serviliae Proleg. XI. not. 41 legem Aciliam Servilia posteriorem fuisse opinatus.

X.

Mulier legitimae agnatorum tutelae adstricta non nisi omnibus ejus tutoribus auctoribus usu in manum convenire potuit.

X I.

Improbamus opinionem eorum, qui cum Cujacio aliisque statuant, creditores Ciceronis tempore et postea prius debitorem principalem quam adpromissores convenire debuisse.

X I I.

Matris adoptivae sororem (materteram) uxorem dicere licuit.

X I I I.

Non a pactis post satisdationem factis, id, quod contendit Cons. Westrik Diss. inaug. Lugd. Bat. 1826, pp. 73. seqq., sed ab ipsa stipulatione Scaevolae Papinianique tempore pendebat, utrum creditori, quem vellet, debitorem principalem an fidejussorem, convenire liceret.

X I V.

Minus recte doct. J. de Bas Diss. inaug. Lugd. Bat. 1831, pp. 49 et 50 l. 3 §. 12 D. *de suis et legit. hered.* interpretatus est.

X V.

Heredes jure hodierno legatariis ultra vires hereditatis non tenentur.

X V I.

Legatarii universales non semper, legatarii titulo universali nunquam beneficio inventarii indigent, ut creditoribus ultra vires hereditatis non teneantur.

XVII.

Mater liberorum suorum naturalium ipso jure tutrix non est.

XVIII.

Si quis moriens tres relinquat filios, quorum unus legitimus, reliqui vero naturales sint, sed a patre legitimo modo agniti, paterque totam rem suam familiarem priori legaverit, non duodecima tantum, uti Lutetiae Parisiorum a. d. XIV. a. Kal. Jun. (19 Maii) CIƆIƆCCCXXIX. et IV. a. Kal. Jul. (28 Jun.) CIƆIƆCCCXXXI. judicatum est, sed nona pars hereditatis utrique filio naturali addicatur.

XIX.

Si heres beneficio utens inventarii hereditatem adeat, creditores defuncti iisdem fruuntur juribus ac privilegiis, quibus separatione, quae dicitur, patrimonii gauderent.

XX.

Privilegium art. 131 Cod. Merc. mulieribus irrogatum ne tunc quidem iis denegari potest, quum marito auctore literas cambiales obsignaverint.

XXI.

Minus recte Paillietus ad art. 147 Cod. Poen. docet notarium, qui in instrumento quodam authentico, nemine ex collegis ejus praesente coram se confecto, collegae alicujus sui, ut adsessoris, mentionem faciat, falsi non teneri.

XXII.

In legibus Fiscalibus transactio de poenis non est admittenda.

XXIII.

Licet agricultura in patria nostra hodie in misera quadam conditione versetur, legibus tamen prohibitoriis adjuvanda non est.

XXIV.

Praemiis alicui Industriae, quam vocant, parti irrogandis summus Imperans finem, ad quem se hisce duci opinetur, assequi nequit.

XXV.

Societas ea lege inita, ut omnia, quae ad eam pertineant, plurium sociorum suffragiis cedant, nisi idem disertis verbis de ejus dissolutione cautum sit, dissolvi nequit, nisi omnium sociorum consensu.

AAN MIJNEN

VRIEND,

K. A. POORTMAN,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT DOCTOR IN DE BEIDE REGTEN.

Bij uw geluk, mijn waarde Vriend!
Dat gij zoo eerlijk hebt verdiend,
Kan ik mijn blijdschap niet bedwingen;
Zoo Priest'renhand U de eerkroon gaf,
Ik heb voor U een lied te zingen,
En 'k sta die taak aan niemand af.

Geen grimlach van een puikpoëet,
Die vrij mijn zang een prulwerk heet',
Kan 't stoute waagstuk mij bezwaren;
Ik roem niet op mijn poëzij;
Niet ieder speelt op gouden snaren,
Maar vriendentaal is melodij.

Niet enkel vriendschap van een uur,
Neen! haardsteê en kanonnenvuur
Heeft ons als makkers zaam gevonden;
Van daar de vonk in 't ruim gemoed,
Die door den tijd niet is verslonden,
Maar aanglom tot een held'ren gloed.

Die heil'ge vriendschapsgloed in 't hart
Verhoogt 't genot, verteert de smart,
Gestrooid op 't levenspad van beiden;
Weldadig en van goeden aard
Zal hij een vrolijk licht verspreiden,
Waar 't oog des vriends in 't duister staart.

Geen lastertong, geen helgedrogt,
Van onheilstokende achterdocht,
Moet ooit dat warm gevoel verdooven;
Het werkt zoo edel en zoo goed,
En wie 't afgunstig weg kon rooven
Ontnam ons menig levenszoet.

Nu staat, mijn Vriend, nu staat ook gij
Bij Neerlands brave burgerij
Met rang en titel aangeschreven;
Als kweek'ling hebt ge uw taak verrigt,
En 't luisterrijkst bewijs gegeven,
Bereid te zijn voor hooger pligt.

O! mogt ik, in ervaring rijk,
Als hoogtijdslied en vreugdeblijk,
Tot eer der menschheid U voorspellen,
Dat hij, die deugd en waarheid mint
En in het regt belang blijft stellen,
Ook steeds den grootsten bijval vindt.

In 't wijd en moeilijk wandelspoor
Ben ik U luttel stappen voor,
En 't voegt mij raad noch les te geven;
Maar, beste Vriend, dit zag ik al,
Dat ons het werkzaam burgerleven
Ook vrij wat zuchten kosten zal.

Het edelst doel en 't braafst besluit,
Voert somtijds niets dan nadeel uit,
En wat ons waarheid schijnt, is logen;
Wie 't goede wil wordt vaak gevloekt,
En 't meest veroordeeld en bedrogen,
Die 't welzijn van een ander zoekt.

Maar toch, mijn Vriend, geen nood, geen nood!
Ons schoon beroep blijft goed en groot,
Zoo lang wij regt en pligt bewaren;
Dan knaag' en kwell' de bange zorg,
Zij zal 't geweten niet bezwaren,
En God blijft voor de toekomst borg.

En nu mijn wensch?.... Gij kent dien lang,
Al klonk hij in geen feestgezang,
Of werd in maat noch rijm gebonden;
Een schooner taal bij zielebêe,
Om 's Hemels zegen opgezonden,
Brengt juist geen rijker antwoord mêe.

Een goede naam voor stille deugd!
Bij weinig zorgen huwlijksvreugd!
Zoo hebt gij zonneschijn na regen,
Zoo bloemen langs uw weg geplant;
En voeg' dan God bij al dien zegen
De welvaart van ons Vaderland!

Mr. H. C. HUYSER.

CORRIGENDA.

Deceptus nomine et auctoritate Klenzii, V. C., imprudens ea scripsi, quae supra p. 33 not. 4 de lege Acilia dicta sunt. Postquam enim Pseudo-Asconii adnotationes accuratius perlegi et cum ipsis Ciceronis verbis contuli, statim animadverti aut Scholiasten ipsum vehementer errasse, aut interpretationes ejus negligenter descriptas fuisse. Primum enim manifestum est in adnotatione ejus secunda ad Act. II. Lib. I. in Verr. §. 26 (c. IX.) pro „Alii sic: .... quod *comperendinatio* ex una legendum esse „Alii sic: ... quod *ampliatio* e. u" (cf. praecc. ad verba *adimo enim comperendinatum*); deinde vero ad Act. I. §. 51 (c. XVII) legem Aciliam dixit *severissimam*, dum tamen Ciceroni ipsi (Act. II. Lib. I. c. IX. §. 26) eadem *mitissima* audit (1); postremo perhibuit (ad dictam §. 26) legem istam Aciliam neque comperendinationem neque ampliationem habuisse, quod oratoris verbis prorsus repugnat, quum hic Glabrionis legem ampliandi potestatem fecisse disertim doceat (2). Praeterea scripsit idem (ad Act. I. l. c.) legem hancce adeo quidem severam fuisse, ut ne comperendinari quidem ea reum liceret, quo loco nullam rationem habuisse videtur ejus, quod Cicero Act. II. l. c. de comperendinatione monuit quodque ipse

---

(1) „*Ego tibi illam Aciliam legem restituo .... Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere.*"

(2) In Verr. II. I. §. 26. „*etiam si lex ampliandi faciat potestatem.*"

ad hunc locum hac de re dicturus erat. Videtur omnino Ciceronis verba Act. I. c. XVII. §. 51 non recte cepisse. Quum enim orator dixisset, populum Romanum lege Acilia optimis judiciis *severissimisque judicibus* usum esse, hoc ita interpretatus est, quasi orator contendisset legem ipsam severissimam fuisse, quod tamen nemo, credo, ex his verbis facile conficiet. Fac etiam eandem praecedentibus severiorem fuisse, hanc tamen ejus severitatem non in eo positam fuisse, quod comperendinatum non haberet, satis docuisse videmur. Itaque quum unicis hisce Scholiastae locis Klenzii opinio de lege Acilia nitatur neque fidem iis habere possim, a viro Cl. hac in re dissentiendum quaeque supra dixi corrigenda esse arbitratus sum.

Pag. 5, *v.* 5 *pro* scripserit: " non *leg.* scripserit: „non
— 5, — 14 — sentinus — sentimus
— 9, — 4 — calumnism — calumniam
— 10, *not.* 3, *v.* 2 *pro* consici — confici
— 11, *v.* 5 *pro* qua — quae
— 12, — 10 — pnblicss — publicas
— „, — 24 — *pegegrini* — *peregrini*
— 18, — 27 — postutata — postulata
— 21, — 28 — ipsius, exemplis — ipsius exemplis
— 21, — 16 — virum. — virum,
— 24, *not.* 2, *v.* 4 *pro* vid. adnot. ad §. seq. — vid. §. seq.
— 25, — 4, — 4 — memoria — memoriae
— 26, — 6, *pro* 653, (654), — 653 (654),
— 29, — 17, — Beierus: " *quia* — Beierus: „*quia*
— 34, — 26, — illarum — illorum
— 36, *not* 1, *v.* 4 *pro aerarii*, quibus — *aerarii*," quibus
— „, — „, — 11 — dicat" in — dicat „in
— 41, *v.* 7, *pro* delegerit. „Loquitur — delegerit." Loquitur

Pag.	41, *not.* 1, *vv.* 5 et 6 *pro*	"*conducimur.*" — (*conferetur* L. susp. non recepta)	*leg.* *conducimur.* — (*conferetur* L. susp. non recepta)."
—	42, *not.* *pro*	(2)	— (1)
—	,,, ,,, *v.* 2, *pro*	um	— tum
—	46, *v.* 6, *pro*	imbrobi	— improbi
—	48, *not.* 1, *v.* 13 *pro*	,,*tres*	— *tres*
—	,,, — ,,, — 14	— *denunciatum.*	— *denunciatum.*"
—	55, — 6,	— ad h. l.	— ad c. X.
—	59, — 1, — 6	— *ad edict.* cri-	— *ad edict.* ,, cri-
—	,,, — ,,, — 8	— judicium (vid.	— judicium," (vid.
—	60, *v.* 16	— socio, ab	— socio ab
—	62, *not.*, *v.* 8	— iu primis	— in primis
—	64, *not.*, — 20	— *idem* scil., *si reus*	— *idem* scil. *promittis?* sed etiam hoc modo: *idem*, *si reus*
—	68, *v.* 17 *pro*	ἐλεγχθῆναι, καὶ	— ἐλεγχθῆναι, ὧν δ' οὐκ ἐτιάζετο, κολασθῆναι. καὶ
—	72, — 2	— 634	— 684
—	,,, — 26	— Catalinariae	— Catilinariae
—	74, — 15	— coconfirment	— confirment
—	75, — 28	— mittebantur;	— mittebantur;"
—	79, — 5	— *orator*	— orator
—	,,, — 4	— *usus sit*	— usus sit
—	85, — 16	— ut.	— ut,
—	87, — 13	— *conturiatim*	— *centuriatim*
—	88, — 12	— interpretaiio]	— interpretatio

Pag. 88, *v.* 24	*pro* ,,Jam in monito huic	*leg.*	Maius ad Schol. Bob. in h. c. ,,Jam, inquit, in monito huic
— 91, *not.* 1	— *conditio*	—	*conditio*
— 94, *v.* 13	— dubito	—	dubito
— ,,, — 29	— tesiibus	—	testibus
— 96, — 23	— diligentisse	—	diligentissime
— 107, *not.* 1.	— Ouinctil.	—	Quinctil.
— 116, *v.* 24	— καθαιωούντων	—	καθαιρούντων
— 123, — 10	— sit	—	est
— ,,, — 9	— nequo	—	nequeo
— 128, *not* 1.,	— eod. 3 add.	—	eod.; add.
— 135, *v.* 10	— negari	—	negare
— ,,, *not.* 1 *v.* 7	*pro* ll.	—	l. l.
— 136, *v.* 12	*pro* sit	—	set
— 138, — 3	— faciendae	—	facienda
— 142, — 5	— de	—	de-
— ,,, — 11	— confarrcatione	—	confarreatione